Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/descrupulis0000augu

AUGUSTINUS GEMELLI O. F. M.

Doctor medicinae et chirurgiae
Professor psychologiae experimentalis in " *R. Accademia scientifico-letteraria* „, Mediolani
Lector medicinae pastoralis

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

DE SCRUPULIS

PSYCHOPATHOLOGIAE SPECIMEN

IN USUM CONFESSARIORUM

BENEDICTUS MARIA PLANO O. F. M.
ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

EDITIO SECUNDA

QUAM EX ITALICO IN LATINUM SERMONEM VERTIT

DOCT. CAESAR BADII

IN SEMINARIO FAESULANO PROFESSOR

MEDIOLANI
SOCIETÀ EDITRICE " VITA E PENSIERO „
MCMXXI

JURA PROPRIETATIS RESERVANTUR

Varallo Sesia – Unione Tipografica Valsesiana

EMINENTISSIMO VIRO

DESIDERATO S. R. E. CARDINALI MERCIER

ARCHIEPISCOPO MECHLINIENSI

GRATO LIBENTIQUE ANIMO

A. D. D.

3383

QUOAD NOS NIHIL OBSTAT.

Datum Mediolani, ex conventu Deiparae Immaculatae,
die 1 Januarii 1921.

Fr. J. Caldiroli O. F. M.
Minist. Provinc. Longobardiae.

NIHIL OBSTAT QUOMINUS IMPRIMATUR.

Mediolani, die 10 febbruarii 1921.

Can. J. Nogara, *Cens. eccl.*

IMPRIMATUR.

In Curia Archiep. Mediolani, die 16 februarii 1921.

Can. J. Rossi, *Vic. Capit.*

Epistula Card. Mercier, arch. Mechlin. ad auctorem.

ARCHEVÊCHÉ DE MALINES

21ª decembris 1912

Reverende Pater,

Curis multis ac continuis distentus non potui operi tuo « de scrupulis » eam praebere attentionem quam et auctoris peritia et subjecti momentum expetebant.

Illud tamen perlegens satis animadverti auctorem nihil neglexisse, tum facta psychopathologica tum doctrinam theologiae moralis consulendo, ut eos qui animarum directionem assumunt fuse doceat quo pacto prudenter et patienter scrupulosos juvare imo curare valeant.

Magistri quoque seminariorum gratias tibi agent quod ex operibus multis peritiorum ea omnia, in ipsorum commodum, excerpseris et congesseris, quae ipsis ad efformandum judicium proprium usui esse possent.

Operi tuo quod expositionis claritate et doctrinae soliditate sese videtur commendare felicem exitum exoptans, rogo te, Pater Reverende, ut mea aestimationis et devoti animi sensa accipere velis.

† D. Card. MERCIER, arch. Mechlin.

PROOEMIUM

Lectori benevolo.

Psychiatricae et psychologicae scientiae cultores, ultimis hisce temporibus, doctorum animos excitaverunt ad sedulo considerandum complexum quorundam symptomatum, non raro concurrentium ad entitatem nosographicam (morbum) constituendam, quae — vulgo *scrupulus* dicta — singularem praesefert characterem, et variis est appellata nominibus juxta alias atque alias receptas opiniones, diversimode mechanismum explicantes, qui in producenda illa phaenomena influit. Sed et insuper istius formae morbosae ab aliis distinctae iidem doctores gravitatem et frequentiam ulterioribus investigationibus illustrarunt.

Inter alios autem, quibus hujusmodi studia maximae utilitatis visa sunt, theologiae moralis auctores recensentur, qui in tali forma morbosa, peculiaria signa agnoverunt cujusdam perturbationis ad conscientiam moralem spectantis, quae jam a pluribus saeculis in theologiae manualibus fuit explorata, et communi voce scrupulus dicta.

Unde factum est, ut novae ex hoc psychopathologiae et theologiae moralis contactu, studiosae inquisitiones successerint, quae ethicae magistris valida adiumenta fuerunt ad melius et praecisius moralem in hujusmodi casibus mensurandam rationem, et ad suggerenda efficaciora remedia. Quem fructum pretiosum equidem esse, nemo est qui non videat. Et sane, optime norunt sacerdotes, ad quos, confitendi gratia, anxietatibus

pleni atque perturbationibus angoribusque exagitati, scrupulosi saepius accedunt, quam minimi obtineantur effectus ex usu mediorum et consiliorum, quae a melioribus quoque manualibus suppeditantur, et quam inanes evadant repetiti conatus ad scrupulosos sanandos, qui multoties, ne dicam semper, ab influxu se subtrahunt fortitudinis, benignitatis, et patientiae confessariorum.

Quamobrem nobis haud inconveniens visum est opus exarare, in quo in unum colligerentur multiplices psychiatricae et psychologicae scientiae conclusiones, et ita facili planoque stylo explanarentur, ut in commodum cederent omnium, qui sacerdotali funguntur ministerio.

Sed, quamvis praecipuus hic fuerit finis in tali pertractanda materia, secundarius tamen alter adest, isque non levioris momenti.

Hanc quippe tractationem haud inutilem nostris quoque in medicina sodalibus arbitramur. Scientia enim psychiatrica — in plurium doctorum mente — ne iis quidem exceptis qui excellentiores reputantur, eamque vel ex cathedris tradunt, vel in manicomiis aut privatim exercent — nostra adhuc aetate iis scatet praejudiciis, ob quae unum ex eius fundamentis, scilicet psychologia, tanquam suspecta scientia olim habebatur, et idcirco admittebatur dumtaxat psychophysiologiae capitulum; et ipsum psychicae activitatis studium mediante introspectione peractum et absolutum sicut morbosus flos putabatur germinans in methaphysicae campo tot periculis pleno. Sed hujusmodi periodus scientiae evolutioni contraria feliciter ab iis est superata, qui rite psychologica aggressi studia, operam navarunt investigandis neurosibus, ad quarum classem ea quoque pertinet, de qua nos in praesenti solliciti sumus. Utile igitur existimavimus conscribere opus, quo talia studia divulgentur inter illos etiam collegas nostros, qui ea ignorant, et advocari possunt ad praestandam operam in hujuscemodi casibus.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Sed et alia quoque viget ratio propter quam ad confessarios simul et medicos haec scripta dirigantur. Ad hunc enim morbum curandum, medici operae validissimum accedit catholici sacerdotis auxilium; idque duplici ex causa: prima et potissima est quia, cum formae initiales, seu casus morbi incipientis, *fere exclusive* in tribunali poenitentiae deprehendantur, necesse omnino est, ut confessarius hujusmodi morbum sane cognoscat, et sollicita adhibeat remedia, opportuna suggerendo consilia, quibus poenitentis saluti provideatur, et ita ad medicum, poenitentem remittat. Secunda autem est, quia, ut deinceps videbimus, hujusmodi cura est essentialiter psychica, neque ab aliis exerceri potest, maxime ob quasdam ideas obsidentes, nisi a sacerdote, cui soli aegrotus audet animum suum revelare.

Haec igitur in prasenti intendimus. Sed quis forsitan dicet: Necessariane erat tam ampla tractactio de morbo, qui raro admodum occurrit? Respondeo, quod utique erat necessaria, quia morbosam, de qua modo loquimur, formam falso supponitur non saepius adesse. Recentiores enim census manifeste demonstrant ejus existentiam, licet non complete, initialiter tamen et imperfecte frequentius verificari. Cognoscere igitur oportet symptomata, ut sollicite efformari possit diagnosis, quae morbo curando tantopere juvat.

Praemittendas tamen existimamus quasdam animadversiones circa methodum in praesenti tractatione adhibitam. Et in primis sciendum est, quod originale opus conficere nequaquam intendimus; maluimus enim, quae jam nota sunt, omnium intelligentiis accommodare. (1) Personalium tamen nostrarum investigationum conclu-

---

(1) Ita saepe saepius faciliora tantum reddentes in commodum eorum, qui hisce in studiis parum versati sunt, ea excripsimus, quae jam inveniuntur in operibus inferius citandis Janet, Emyeu, Pitres, Régis, Sollier, etc.

siones adducentur, ut notiones theoricas facta clinica illustrent. Ceterum ob practicum a nobis intentum finem neque novae proferentur doctrinae, neque graves exagitabuntur quaestiones, quae perscrutantibus formas istas morbosas examinandae occurrunt; sed illud tantum reassumetur et divulgabitur, quod est scientiae certum et jam acquisitum obiectum.

Duo insuper sedulo attendat lector oportet.

Primum est, quod in praesenti opere, utpote quod partem constituat collectionis edendae, quae inscribitur: *Quaestiones theologiae medico-pastoralis*, et finem habeant exhibendi conclusiones ex nostris investigationibus hisce annis deductas, quaestiones praesupponuntur jam in aliis tractatae voluminibus, ad quas propterea lectorem remittimus opportunis, prout opus erit, indicationibus praemissis. (Cfr., praesertim, volumen: *De psychopatologia pastorali*).

Alterum autem sponte exurgens ex indole hujus operis, est quod amplissimam intendit divulgationem; respicit necessitatem qua coacti fuimus brevioribus paginis colligere, quae ingentibus voluminibus exposuerunt quam plures hujus argumenti studiosi; unde necesse fuit omittere observationes circa facta particularia, necnon exceptiones, limitationes, etc.; et potius censuimus praevalentiam tribuere theoriis, quae excogitatae sunt ad facta explicanda. In hoc profecto, quemadmodum et in brevitate laboriosa rebus exponendis impensa, quas admodum particulatim oportebat edisseri, gravis inest operis praesentis defectus. Sed quamdam excusationem nos mereri putamus ob effectum, qui exinde est sequuturus, utilitatis nempe pro longe pluribus personis, quae ita veritates illas facilius agnoscere, et ad accuratius easdem investigandas probabilius allici possunt.

At his tamen nonobstantibus, ad praecavendos effectus, qui ex omnibus hac ratione deficientibus ope-

ribus proveniunt, nonnullas in praesenti, tamquam exemplificationes, observationes adjunximus ad scrupulosos spectantes, qui recentioris nostri studii obiectum speciale extitere. Hae autem observationes insuper juvabunt ad modum ostendendum, quo efformari potest, symptomatibus jam cognitis, ipsa diagnosis: atque ita, dum in hoc volumine analyticum conficere opus intendimus, in illis vero clinicis historiis per inversam viam procedemus, scil. per synthesim.

Nostri itaque operis felix et jucundus pro nobis erit successus, si per ipsum pluribus, qui scrupulis anguntur, levamen, iis vero, qui miserrimis scrupolosis curandis vel juvandis incumbunt, efficax afferatur auxilium (1).

Grati interim nostri animi sensus omnibus jam ex nunc exhibemus, qui suas nobis ad rem patefecerint animadversiones, et etiam errores, in quos nos incidisse contigerit (2).

Mediolani, ex conventu Immaculatae, in festo Visitationis, an. 1911.

Auctor.

---

(1) Cum adhuc pergamus nostram impendere operam perscrutandae formae morbosae, circa quam praesens versatur tractatio, quilibet scrupulis affectus gratitudinem nostram devinciet, si proprias perturbationes, earumque originem, evolutionem, etc. particulatim descriptas nobis communicare voluerit, idque potissimum sub forma autobiographiae vel diarii. Hujusmodi enim scripta pretiosam constituent materiam nostri clinici archivii. Speciatim autem confessarios rogamus, ut suos poenitentes scrupulosos inducant ad descriptiones istas, quae maximi erunt pro nobis momenti, exarandas atque ad nos mittendas.

Superfluum vero videtur monere, quod in omnibus hisce scribendis nulla adest necessitas vel minimum ponendi indicium, quo recognoscantur personae; et, prout ad nos attinet, quod sacrum et inviolabile erit secretum.

(2) Completis voluminibus, quae hanc collectionem constituunt, index analyticus edetur.

INTRODUCTIO

Notio scrupuli. — Etymologia. — Conceptus theologicus. — Scrupulus et obsessiones. — Psychologicus usus hujus nominis: « scrupulus ». — Scrupulosus consideratus ut scrupulosus — ut psychasthenicus. — Quaestiones tractandae. — Operis conspectus.

Ad ea intelligenda, quae in hac tractatione exponentur, in primis oportet ut notiones quaedam recolantur, quae ad ipsam attinent nomenclaturam.

Omnes equidem sciunt, qui veniat nomine *scrupuli*, sed non omnes aeque cognoscunt, huiusmodi phaenomenon saepissime verificari; putant enim raro contingere, quia scrupulosus, ut deinceps videbimus, proprium animi statum studiose et longo tempore tegit.

Vox igitur *scrupulus* repetenda dicitur ex lapillis seu scrupis, (graece σκρυπος); et significat ponduscullum levissimum, quod olim aequissimae imponebatur bilanci ad minimum ponderandum valorem, respondebatque vigesimaequartae unciae parti.

Analogice itaque, ad rem moralem quod spectat, scrupulus communiter dicitur minima quaedam levissimi mali ratio, quam solum delicatissimae deprehendunt conscientiae.

Sed paullatim vox scrupulus adhibita tantummodo est ad denotandum effectum a minimae vel etiam ina-

nis cujusdam rationis apprehensione causatum; effectum, inquam, extremum, exaggeratum, enormem; unde nomine scrupuli nunc intellegitur anxietas conscientiae, ex inani seu irrationabili causâ inducta, vel status timoris immodici et morbosi. Qui sane status considerari potest sub respectu tum conscientiae moralis, tum psychologicae scientiae.

Ad priorem quod attinet (1), scrupulus, ut docet S. Ligorius, nihil aliud est, nisi vanus timor peccandi, qui ab apprehensione inani causatur. Et Berger ait: « Scrupulus est angor spiritus, anxietas animi formidantis in omnibus Dei offensam, et eousque dubitantis de non satis perfecta proprii officii adimpletione ». Auctor denique operis: « *Scienza del confessore* » docet, scrupulum esse dubium vanum vel saltem leve, conscientiam angens et perturbationibus replens.

Hujusmodi autem timor peccandi vel peccati jam commissi, ut animadvertit Grimes (2), hujusmodi incertitudo, quae nullum habet nisi levissimum fundamentum, mentem exagitat, falsa adstruit judicia, interiorem destruit pacem, animi dejectionem et tristitiam generat, arcet a Sacramentis, et spiritus corporisque salutem perturbat.

Nihil, inquit S. Alphonsus, magis quam scrupulus, nocet animae ad Deum tendenti, vel Deo sacratae. Scrupulosi dementia laborant, ait S. Theresia; quia nullum adhibere valent conatum ad viam perfectionis currendam.

---

(1) Quoad studium morale de scrupulis conf.: S. Alphonsus, l. I, n. 11-18; Reuter, *Neo-confessarius*, n. 255, ss.; S. Antonin., p. I, tit. 3, cap. 10; par. 10; Stolz, *Tribun. poen.* l. I, p. 5, n. 171; Lacroix, *Theol. moral.* l. I, n. 519; Scaramelli, *Diret. Ascet.* l. 2, n. 241; Elbel, p. I. Pr.el 221, ss.; S. Ignatius, *Exercitia spirit. Regulae de scrup.*

Consulantur etiam communia theolog. mor. manualia.

(2) *Traité des scrupules,* Nouvelle édit., Téqui, Paris 1910.

At sub hoc morali respectu praesentem tractare quaestionem minime intendimus, quoad hoc enim lectorem remittimus ad opera conferenda, quae de tali argumento specialiter agunt: maluimus quippe in praesenti rationem ejus psychologicam exclusive et ex integro investigare: solummodo in fine voluminis, momentum notabimus et valorem, quem habent hujusmodi investigationes psychologicae relate ad theologiam moralem.

Sub ista autem ratione psychologica inspectus, exhibet scrupulosus notas quasdam seu characteres admodum peculiares. Inter quos speciali modo notantur inquietudines, obsessiones, exagitationes, impulsiones, phaenomena sic dicta *tics*, phobiae, angores, delirium dubii, et aliud factum non minus singulare quo habetur quaedam duplex conscientia. Universa autem hujusmodi phoenomenologia, novissimis temporibus, et maxime hisce ultimis decem annis, potissimum fuit psychiatris et psychologis studiorum obiectum. Illa porro symptomata nondum erant ita in unum collecta, ut quidam veluti conspectus nosographicus haberetur: unde sequebatur, quod facile confunderentur cum symptomatibus ad alias morbosas formas spectantibus.

Bene igitur de scientia meritus est Krishaber, qui ea simul collegit sub nomine: *Neuropathiae cerebrocardiacae.* Nonnulla profecto symptomata — potissimum inquietudines, obsessiones et dubia — jam ad unam formam revocaverant, quam appellarunt *delirium emotivum* et *morbum dubii*, Morel primo, et dein Falret, Legrand du Saulle, Magnan, Ball, Hak Tuke, aliique. Sed ad Pitres et Régis (1) primo spectat, et potissimum,

---

(1) Quoniam, ut jam diximus, hoc editur opus ad certas doctrinas amplissime divulgandas, opera completa dumtaxat citamus, quae communis possunt esse studentibus utilitatis; et propterea omittimus bibliographicum aliorum indicem exhibere, quae

paulo post, ad Janet (1) praecisior individualizatio hujusmodi formae morbosae.

Praeter studia autem minoris momenti, quae nullam saltem specialem merentur mentionem, notatu dignae sunt investigationes praelaudati Janet, quae acres excitaverunt controversias.

Novissimis tandem temporibus quaestionem denuo aggressus est Sollier (2), cujus tamen studium ad scientiam parum equidem contulit (3).

---

tantummodo historicum valorem, et particulares continent veritates vel facta. A. Pitres et Régis, *Les obsessions et les impulsions,* Paris, Doin 1902.

(1) Pierre Janet, *Les obsessions et la psychasthénie. Études cliniques et experimentales,* 2ª ediz. Paris, Alcan 1908. F. Raymond et P. Janet, *Les obsessions et la psychasthénie. Fragments de la leçon clinique du mardi.* Paris, Alcan 1903. (Hoc alterum opus efformat secundum volumen, et praesertim facta clinica continet). Ipsius Janet conferatur insuper opus: *Névroses et idées fixes.* Paris, Alcan 1908. Janet praeterea parvum edidit volumen vulgari intelligentiae accommodatum, in quo suas reassumpsit ideas, inscriptum: *Les névroses,* Paris, Flammarion 1910.

(2) Paul Sollier, *Le doute*, Paris, Alcan 1909.

(3) Nullius valoris nobis videtur etiam opus, quod saepe laudatum, et in gallica et italica editione longe diffusum cognovimus: V. Raymond O. P. (adsistens ecclesiasticus celebris societatis Wörishofensis, quam Kneippianum vocant), *La guide des nerveux et des scrupuleux. (Vade-mecum de tous ceux qui souffrent),* Paris, Beauchesne 1908.

Nullatenus porro affirmare audemus, neminem in Wörishofensi civitate sanitatem obtinuisse, sed nobis videtur, quod hujus voluminis auctor haud rite cognoscat psychopathologiam de individuis illis miserrimis. Aliunde vero quod ab ipso affirmatur non est sane psychologiae indaginis fructus, sed quid ex aliis notis operibus collectum et repetitum.

Mentio insuper facienda est de illis scriptoribus, qui lucide voluntatis morbos, et modum in ipsos agendi exposuerunt. Eorum enim opera magnam afferunt utilitatem legentibus, quia etiam ad singulas quaestionis partes cognoscendas maxime juvant. Atque in primis omnibus notum est opus Th. Ribot, psychologi

Ipse vero Janet nominibus delirii emotivi, morbi dubii, delirii degenerativi, phrenastheniae, quae ostendebant, relativos conceptus praecisione carere, substituit prius vocem *scrupulum*, et dein exactius nomen *psychastheniam*.

Nec quaestio erat solummodo de nomenclatura, sed agebatur de stabiliendo conceptu, qui conveniret uni formae morbosae, ut eam distingueret a complexu aliarum formarum, quae licet quadamtemus similes, obiective tamen ab ea differebant. Hoc autem meritum praecipue ipsi Janet est tribuendum. Is enim ad hanc formam individuandam methodo usus est excogitatâ primitus a Th. Ribot, cui plurimum debet gallica psychologia.

Hujusmodi autem methodus consistit in copulanda medicina cum psychologia, ex qua, sicut omnia mutuanda sunt adjumenta ad classificanda et interpetranda facta, quae exhibentur a pathologia mentali, ita vicissim in morbosis psyches perturbationibus adhibendae sunt omnes illae observationes et experimenta naturalia, quae analysim conficere possunt operationum mentis humanae.

Hac itaque ratione potuit Janet praecisam praebere descriptionem circa magnum symptomatum nu-

---

gallici perbelle scribentis, *Les maladies de la volonté,* Paris, Alcan. Hujus insuper auctoris leguntur utiliter scripta sequentia: *La psychologie des sentiments; La vie affective, Les passions,* quae omnia edita sunt Parisiis ab Alcan. Non parvi etiam momenti sunt opera Dubois, qui est princeps illius scholae, quae psychotherapicas methodos adhibendas esse propugnavit. Cf. hujus auctoris: *L'éducation de soi-même,* Paris, Masson, 1908, necnon: *Les psychonévroses et leur traitement moral,* Masson, Paris 1909. Optime etiam communi captui accommodata sunt opera: Brianza, *L'abulia moderna, le sue cause, i suoi rimedî,* Milano, Ghirlanda 1909, et Lavrand, *La rééducation physique et psychique,* Paris, Bloud, 1909. Alia opera citabimus, quoties aderit occasio, in decursu praesentis tractationis.

merum, quae in antecessum raro admodum fuerant studiorum objectum, et tam exacte etiam analysim instituere de maniis mentalibus, de amentiis, de obsessionibus; etc., ut symptomata, quae antea separata existimabantur, proxime sibi conjuncta esse demonstraverit, eorumque naturam definierit; et pro tanto etiam morbos qui differentes putabantur, revocavit ad unicam praegrandem psychoneurosim, quam nomine psychastheniae appellavit, ut indicaret, sicut deinceps videbimus, naturam processus morbosi, seu debilitationem psychologicarum functionum (1).

---

(1) Post Janet, studiis de psychasthenia incubuit Sollier, qui in recenti quodam volumine ipsius Janet doctrinas demoliri conatur, non semper equidem erga illum benevolum animum gerens. Sed objectiones allatae nullam profecto gravitatem praeseferunt: in conceptibus enim fundantur omnino personalibus seu subjectivis ipsius Sollier.

Hic enim assecla est illius scholae, in qua praedominantur materialisticae positivismi doctrinae, juxta quas omnes mentales perturbationes anathomice tantum vel physiologice explicari debent. Facile igitur comprehenditur, quare ipse admittere nequeat conceptus, a Janet propugnatos, in quibus aequa ratio tribuitur psychicis perturbationibus ad rite psychastheniam investigandam. At quandonam pervicacia cessabit methodum persequendi, quae evidenter demonstrata est insufficiens, nec ullam psychologiae propriam recognoscit rationem?

Et eousque pervenit Sollier, ut ipsum quoque nomen psychastheniae multis rationibus improbet, reprehendat, quin animadvertat, parvi quidem esse momenti quaestionem de nomine, quod ideo tandem rejiciendum esse putat, quia per ipsum denuo importatur « spiritualisticus dualismus simplex et purus: doctrina nempe de anima corpori alligata, quae ipso utitur, in ipsum agit, propriamque habet independentem activitatem, autonomiam, leges et morbos ».

At huic haud equidem seriae objectioni facile respondetur considerando, quod nullam implicat nomen philosophicam conceptionem, et quod fieri utique possunt inquisitiones circa psychicas activitates, quin ob idipsum aliqua habeatur praeoccupatio

Hujusmodi autem investigationum momentum ab iis quoque recognitum est, qui tales doctrinas theologiae morali applicandas adlaborarunt. Quos inter commemorare sufficiat Walsh (1), Schloe ss. (2). P. Raymond, quem etiam superius citavimus, et potissimum Emyeu (3).

Principium vero, ex quo isti psychopathologiae cultores processerunt, fuit identificatio quorumdam psychastheniae symptomatum cum nonnullis ipsius scrupulosi notissimis characteribus, qui a psychologis appellati sunt: *ideae obsidentes* seu *obsessivae* (*idee ossessive*), vel simpliciter *obsessiones.*

Verum equidem est, animadvertit Emyeu (*l. c.*), quod in communi modo loquendi hujusmodi nomen saepe saepius adhibetur ad phaenomemon designandum, quod est valde simplex, nec nisi remotam habet cum scrupulo analogiam. Ita, ex gr., si facile et quovis fere momento quoddam reproducatur in aure melos, ipsa quoque incassum obsistente voluntate, nonne dicimus quamdam haberi obsessionem? Et optime quidem, quia, ut animadvertit idem auctor, suam hic obtinet nomine signi-

---

de earum natura et de quaestionibus metaphysicis: quod revera in praesenti verificatur.

Denominatio vero proposita a Sollier « *morbus dubii* » nullatenus potest admitti, quia unum tantum ac minimum signat symptoma, et insuper praecisione caret, utpote quae alias comprehendat formas nequaquam identificandas cum ea, de qua agitur. Cf.: Sollier, *Le doute,* Alcan, Paris, 1909.

(1) *Essay in Pastoral Medicin* by A. O. Malley and J. J. Walsh, Longmann-Green, London, 1907. (Cap. XVI, XVII, XVIII, p. 205, seq.). Cfr. etiam: J. J. Walsh, *The physiopsychology of Scruples,* Ecclesiastical Review, 1 apr. 1909.

(2) *Propädeutik d. Phychiatrie für Theologen und Pädagogen,* Wien 1908.

(3) *Le gouvernement de soi-même,* vol. 2: *L'obsession et le scrupule,* Paris 1909.

ficationem etymologicam, (*obsessio, obsidere = sedem obtinere*). Sed haec vox obsessio, usu psychopathologico, aliam hodiedum accepit significationem specialem. Exprimit enim, ut inferius videbimus in descriptione huius phaenomeni (cap. 1, et cap. 2), quasdam ideas insanas, deliras, tenaces, quae enormem induunt gravitatem, et notabiles perturbationes producunt. Hoc porro sensu intellecta obsidens idea eosdem, quos scrupulus, characteres adeo praesefert, ut sub psychologica ratione considerari scrupulus possit tamquam obsidens idea.

Nomine itaque ideae obsidentis, vel obsessionis, conveniunt doctores significari phaenomenon scrupuli considerati sub respectu psychologico; dum scrupulus proprie dictus, vel scrupulus sub ratione morali spectatus, particularem constituit casum obsessionis cujus objectum est actio, cogitatio, aut factum vitae moralis.

Sed insuper, quoniam *idea obsidens* seu *obsessiva* nihil est aliud nisi unum ex symptomatibus ad peculiarissimum quemdam morbosum statum spectantibus, qui vocatur etiam *psychasthenia* (Cfr. inferius, cap. 5), et quoniam inventa sunt in scrupulosis alia symptomata propria hujusmodi morbi, sicut agitationes coactae, insufficientiae psychicae, quae omnia accurate deinceps investigabimus, idcirco tandem factum est, ut vocabula scrupulosus et psychasthenicus, usu communi, promiscue adhibita sint, licet prius speciatim ad moralem, et alterum ad psychologicum ejusdem formae adspectum denotandum sit reservatum.

Hujusmodi igitur formae morbosae studium nos quoque aggredi oportet: et quia tamquam peculiaria ejus phaenomena non tantum habentur *ideae obsidentes,* sed etiam *agitationes coactae,* (*agitazioni forzate*) quae ex iis consequuntur, nostra disquisitio initium sumet a duplicis illius manifestationis examine. In sequentibus vero capitibus investigabimus: *psychastheniae stigmata,* seu charateres fundamentales, phy-

siologicos et psychologicos status psychasthenici, *pathogeneticas theorias*, quae propositae sunt ad explicandum hujusmodi statum, et tandem *evolutionem ulterioresque modificationes*, quae, in istis formis morbosis verificantur. Hac itaque ratione procedendo, illud totum in promptu habebitur, quod ad hujus morbi *diagnosim* et *prognosim* conficiendam, et ad indicanda media curationis inservit.

Caput primum.

De ideis obsidentibus (Idee ossessive).

1. *Notiones fundamentales.* — Idea obsidens. Nomenclatura idearum obsidentium. Difficultates, quae in praesenti studio obversantur.
2. *Materia idearum obsidentium.* Ejus varietas. Classificatio proposita ab Janet:
   a) Obsessiones et impulsiones sacrilegae. Natura et exempla.
   b) Obsessiones et impulsiones criminosae. Natura et varietas. Obsessiones genitales. Remorsus.
   c) Obsessiones contemptus et pudoris de seipso; variae classes: 1) dubii; 2) relative ad amentiam; 3) ad personalitatem: 4) desiderii, 5) pudoris, 6) amoris, 7) contemptus proprii corporis.
   d) Obsessiones contemptus proprii corporis.
   e) Obsessiones hypochondriacae.
3. *Characteres idearum obsidentium.* Forma idearum obsidentium. Hujus studii momentum.
   a) Idea obsidens est idea fixa.
   b) Status habentis ideam obsidentem potest nuncupari dementia lucida.
   c) Permanentia et frequentia idearum obsidentium.
   d) Tendentia ad ideas obsidentes revocandas.
   e) Duplex personalitas scrupulosi.
   f) De tendentia ad agendum et de executionis absentia.
   g) Tendentia ad repraesentationem.
   h) Character dolorosus ideae obsidentis.

1. — Notiones fundamentales.

Primum, quod in scrupuloso examinandum occurrit, est quoddam intellectuale seu altioris ordinis phaenomenon, *idea* nempe vel repraesentatio mentalis, saepe

saepius abstracta et valde implexa, quae peculiares admodum characteres praesefert. Distinguitur enim a ceteris phaenomenis psychologicis ex eo quod continuo reproducitur in aegroti spiritu, contra ipsius voluntatem, anxietatem quoque et angores inducendo.

Ejus autem permanentia nullatenus intelligi potest, si valor et utilitas, quam nullam revera exhibet, solummodo consideretur. Verum equidem est, quod nec insoliti multoque minus morbosi in se aliquid continet; sed morbosam induit formam ob pertinaciam spasmodicam, qua habitualiter perturbat regularem cursum operationum mentalium ad instar illius phoenomeni, quod vulgo *tic* vocatur.

Variis porro nominibus, hujusmodi repraesentationes mentales appellatae sunt. Ipsi vero Westphal meritum est tribuendum, quia eas recognovit, et distinxit ab ideis delirantibus (1871) vocavitque *ideas fixas* (*Zwangsvorstellungen*). Deinceps dictae etiam sunt *ideae coactae* (Buccola) et *ideae incoërcibiles* (Tamburini).

Nobis vero conveniens videtur eas nominare *ideas obsidentes* vel, simpliciter, *obssessiones*, quemadmodum primo appellatae sunt a Pitres et Régis, et ita postea ab aliis quoque psychopathologiae cultoribus, ex gr.: Janet, Tanzi, Walsh, Emyeu, et ab omnibus, qui hujusmodi formae morbosae studio incubuerunt.

Inferius investiganda et generaliter exponenda erunt symptomata ad scrupulosum spectantia.

Nunc vero, ad rite instituendum studium circa quaestionem valde complexam, oportet sub communi quadam ratione, obiecta et characteres inquirere ipsius ideae obsidentis, quae propterea facile deprehendi poterit, ubi adesse contigerit.

In primis vero animadvertendum est, difficilius, quam quod generaliter putatur, describi praecise posse

hujusmodi ideas, quae scrupulosos torquent et cruciant.

Isti enim aegroti, jure observat Janet (1), plerumque tali modo loquuntur ob statum morbosum, in quo reperiuntur, ut psychologicae indagines aegre quidem et non rite procedant. Anguntur quippe in praecise declarando quid sit, quod eos perturbat, unde suas cogitationes semper incomplete, obscure et implicate manifestant.

Et revera scrupulosus, quum, morbo incipiente, animadvertit suae mentis perturbationem, omni studio proprium statum dissimulat. Et si interrogetur, incertus et anceps haeret, nec proprium animi statum describere valet; continuo eadem repetit, quin ultra procedat in propriis aegritudinibus enarrandis; numquam incoeptam ideam concludit; in singulis fere verbis sibi contradicit; et aliunde ipse recognoscit insufficienta esse quae dixit, atque aliud se dicere necesse fore; singulisque momentis et fucatis quibuscumque rationibus proprios angores iterum atque iterum enarrandos aggreditur.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 5, sq. Aliter tamen opinatur Emyeu, qui autumat, scrupulosos animo subtilis psychologici praedictos esse, et neminem posse, sicut ipsos, proprias perturbationes et angores minuter describere. Sed animadvertere oportet, quod verum equidem est, scrupulosum possidere spiritum observationis interiorem subtilissimum atque attentissimum (hic enim constituit unum ex morbi symptomatibus), sed non idcirco fides praestanda est iis quibuscumque eius dictis quin immo symptomata ab ipso accusata (*symptomata incompletionis, — sentimento di incompletezza* —), haud correspondent objectivis perturbationibus (*insufficientiis psychicis et physiologicis, — insufficienze psicologiche e fisiologiche* —) sicut cap. 4 demonstrabitur. Praeterea observandum est etiam quod incertitudo afficiens omnes eorum actus et cogitationes, confusam reddit et ambiguam narrationem eorum malorum. Loquuntur equidem multum cum illis, quibus fidem habent, ex. gr., cum confessario, sed non omnia, quae dicunt, utilia sunt; immo contrarium potius verificatur.

Talis autem modus agendi, animadvertit Janet (1), fallacem denotat sensum et illusionem aegroti, qui semper moerens animo est, licet opinetur se omnia sufficienter egisse. Hic vero animi sensus, quamvis exaggeratus in aliquo aegroto appareat, realiter tamen verus et exactus generaliter est. Confitendi quippe desiderium, nulla in contrarium ratio extans, simulque impotentia, qua scrupulosus laborat, clare exponendi suum statum, totidem sunt characteres pathognomonici, ad modum loquendi, talium aegrotorum spectantes.

Ex his profecto quis meticulosus est; et timiditas ista aliquatenus explicat illam rationem agendi; sed plerumque scrupulosi nullum habent timorem, cum proprium confessarium alloquuntur; immo cupiunt interna omnia illi manifestare, sed nequeunt. Difficultas, quam experiuntur in proprio statu clare exponendo, et quam ipsi quoque bene cognoscunt, pendet ex quodam modo essendi, in quo eorum spiritus reperitur, et ad generalem pertinet impotentiae rationem, ob quam nihil exacte adimplere, nec ad finem perducere valent, quod sibi proponunt.

Sed de hoc facto sermo deinceps redibit, quando nempe de obsidentis ideae characteribus erit agendum. Interim factum innuisse sufficiat, ut statim appareat, difficultatem loquendi, qua scrupulosi anguntur, ingens constituere impedimentum quoad psychologicas investigationes; quas propterea, si insufficientes deprehendat, benevolus lector indulgenter excipere non dedignetur.

§ 2. — Materia idearum obsidentium.

Nunc autem quaestionem aggredimur de variis et quam maxime diversis objectis, ad quae ideae obsidentes referuntur. Et in primis sciendum est, quod mul-

(1) *Les obsessions,* etc., pag. 54.

toties hujusmodi obsessiones, res et actiones respiciunt quae nullam habent relationem cum vita morali, et idcirco ad poenitentiae tribunal non deferuntur a scrupulosis; et hoc provenit ex eo, quod, ut jam innuimus, obsessio, sub ratione psychologica spectata, latius patet quam illa, quae sub respectu morali consideratur, quaeque magis proprie scrupulus dicitur in sensu morali. Aliquando vero ideae obsidentes in iis reperiuntur, qui etiam ob ipsum statum morbosum, quo laborant, ad confessarium non accedunt.

In praesenti autem ad clarum praeformandum conceptum de ideis obsidentibus, deque eorum natura, exponere necesse est, quaenam sint actiones et quaenam res, circa quas hujusmodi ideae versantur, etiamsi non directe ad confessarium pertineant; atque insuper oportet in varias classes hujusmodi ideas distribuere secundum respectum, quem dicunt. ad objecta diversa.

Ut igitur in tam multiplici varietate aliquis ordo ponatur, ideas obsidentes dividimus, sicut divisit Janet, in quinque classes particulares, quae sic enumerantur:

a) — *obsessiones et impulsiones* (1) *sacrilegae.*

b) — *obsessiones et impulsiones criminosae.*

c) — *obsessiones et impulsiones ad seipsum spernendum.*

d) — *obsessiones et impulsiones ad proprium corpus despiciendum.*

e) — *obsessiones et impulsiones hypochondriacae.*

Perpendamus itaque singillatim has formas.

a) — *Obsessiones sacrilegae.* — In prima classe habentur obsessiones religiosae: sed istae sunt ideae religiosae prorsus speciales, aspectum habentes horribilem et monstruosum, praeter omnem credibilitatem. Qui, istis

(1) Inferius cap. III videbimus, quid sint inpulsiones, et quomodo obsessiones fere semper impulsiones comitentur.

anguntur ideis, non quotidiana nec ordinaria vitae communis facta, tamquam objectum obsessionum suarum habent, sed potius religiosa crimina omnino phantastica numquam realiter forsitan eventura. Communis autem nota, quae his omnibus inest, in associatione consistit duarum idearum — quarum altera ad altum et elevatum ordinem pertinet, plerumque religiosum, vel saltem veneratione semper dignum; puta: Deum, animam, Ecclesiam, sacram Hostiam, etc.; — altera vero rem ignobilem repraesentat, probrosam, trivialem, indecentem; puta genitalia organa, excrementa, verba vulgaria, blasphemias, etc. Haec postrema mala associatio idearum, injuriae est prioribus mentis cogitationibus, et ideo omnes hujusmodi associationes constituere videntur cogitationes sacrilegas; hinc a Janet ideae istae nominatae sunt *obsessiones sacrilegae*. Primum igitur factum in psychasthenicis notandum, est tormentum ipsis proveniens ex cogitationibus sacrilegis.

Exemplum afferam, quod licet rarum, et maxime grave, peculiaribus tamen praeditum est characteribus; et narratur ab ipso Janet, et ab omnibus refertur auctoribus. Erat quaedam puella, quae continuo putabat coram se habere virum, qui turpissime genitalibus organis sacram Hostiam polluebat, et sese cogi affirmabat ad cooperandum horrendae huic profanationi.

Sed valde communes sequentes habentur obsessiones sacrilegae; opinari se Hostias consecratas pedibus conculcare; persuasio receptae communionis absque jejunio praescripto, etc. Quidam insuper existimant, diabolum eos adigere ad patranda turpia facinora et actus inhonestos, contra res sacras, ut eos in perditionem adducat. Alii autem persuasum sibi habent se male de rebus divinis loqui; ad daemonem cogitationem erigere, dum orant; Deum injuriare, loco eum deprecandi; nihil aliud posse exprimere nisi odium contra Deum, idque nefandissimo modo; impelli ad Deum impetendum et

maledicendum, ad blasphemias proferendas et ita porro. Alius vero ideam divinitatis miscet cum idea proprii morbi dicens: « Dammatus sum, contendo in Deum, si contra meum cerebrum contendo; Deum illudo, si curam mei corporis habeam », et alia hujus generis.

b) — *Obsessiones criminosae.* — Obsessiones sacrilegae raro admodum contingunt, et, saltem sub forma completa, nonnisi in morbis, qui jam invaluerunt, apparent. Frequentiores vero et magis praecoces sunt sollicitudines circa res religiosas ac morales.

Quaedam notabiliora oportet afferre exempla. In primis itaque aegrotos invenimus, qui magna afficiuntur sollicitudine erga philosophica et religiosa problemata respicientia malum, quo cruciantur. Janet refert quod quaedam aegrota per diem et noctem continuo cogitabat, seseque interrogabat de salute animae propriae, sui heri, sui mariti, etc. Haec mulier speculabatur quaestionem boni et mali, ac mutuam animarum actionem mediantibus precibus. Et dum ita sibimetipsi effinxerat speciem quandam philosophiae ac religionis personalis, mysticae et infantilis, totaliter actus religiosos negligebat. Iisdem criteriis, alia quaedam mulier satagebat circa problemata moralia: et dum valde sollicita erat de solvendis gravioribus ethicae quaestionibus, interim propria officia matris et uxoris negligebat, parvipendens monita et objurgationes, quibus exprobrabatur ejus negligentia.

Ad hanc categoriam pertinent aegroti, qui ab idea obsiduntur ponderandi gradum propriae culpabilitatis in singulis actibus. Omnes porro confessarii recolere possunt casus saltem leves, qui verificantur in hujusmodi aegrotis, qui, ex. gr., integros dies impendunt in examinanda conscientia, atque in circumstantiis vel aggravantibus vel minuentibus cogitandis. Eheu! miseros, qui eo magis intricantur, quo sese magis expedire nituntur!

De juvene quodam narrat praefatus Janet, quod viginti annos natus Seminarium ingressus est, ut appetitum expleret studendi theologicis quaestionibus. Ita autem his incubuit, ut signa manifesta exhibuerit perturbationis mentalis. Unde superior coactus est, illum ad alienistam adducere, qui judicavit necessarium pro eo esse Seminarium deserere. Sed tunc aegrotus, studium aggressus est de bono et malo, de criminibus, de culpabilitate, etc., praelectiones de legibus in athaeneo frequentando. Infelix iste nullum aliud morbum patiebatur, ut deinceps clarius apparuit ex ipsa progressiva morbi evolutione, nisi obsessionem cujusdam ideae, quae constanter versabatur circa culpabilitatis gradus, quibus poterat affici unusquisque actus ejus vitae. Ad quem finem per plurimas horas mente cogitabat, quae ipse ante egerat, ut pervenire posset ad judicium efformandum, utrum necne aliquam culpam commiserit, aut excusationem haberet ex aliquo motivo imputabilitatem actus auferente.

Hujusmodi vero ideae obsidentes non sunt, ut plurimum, per se malae, nec pravis impulsibus originem praebent (1). Et revera frequentius hisce in casibus verificantur incitamenta ad statum sacerdotalem vel religiosum amplectendum, et ad proximum reducendum in viam veritatis et virtutis. At quandoque tamen producunt impulsus vere criminosos; urgent enim ad suicidium et ad alia facinora patranda, ut psychiatrae tradunt, varios hujuscemodi casus afferentes.

Frequentiores vero sunt genitales impulsus, ut saepe videre est in juvenibus, qui tali afficiuntur obsessione ut reputent se adigi ad masturbationem, ad actus homosexuales, etc. Plerumque etiam accidit ut hujusmodi formae sibi invicem adsocientur et conjungantur.

---

(1) Videbimus inferius, cap. III, mechanismum harum impulsionum.

Sed simul cum impulsionibus istis positivis habentur etiam illae negativae; cujusmodi sunt, quae respiciunt inobservantiam legis religiosae et moralis, uti, ex gr., praecepti Paschalis, audiendi Missam, orandi, cibum sumendi, etc. Quaelibet vel minima res valet pro his aegrotis, ut a bono actu complendo retrahantur; ex. gr. sufficit quod dubitent, actum esse bonum, ut urgeantur ad illum nullatenus perficiendum.

Proximi autem ad hujusmodi impulsiones habentur, inquit Janet (1), remorsus, seu status illi, in quibus aegrotus non experitur actualem impulsum ad opera criminosa complenda, sed ea jam patrasse putat, et pro tanto remorsibus ita cruciatur, ut incapax evadat ideam ejiciendi de quodam hypothetico crimine vel culpa commissâ; cunctas perpendit circumstantias, nec persuaderi potest de nulla existente culpabilitate: continuo enim tamquam metuendum phantasma redit in mentem aegroti idea admissi facinoris; et ipse interim plangit, angitur, et omni fiducia dejicitur.

Multiplicis autem generis possunt esse remorsus.

Dantur enim in primis, remorsus ex culpa religiosa, ex gr., ex male institutis (ut ab aegroto putatur) confessionibus, ex sacrilegis communionibus et ita porro; frequentes sunt autem in morbi initiis et clarissima exempla exhibentur ab omnibus scrupulosis. Quando enim persuasum quis faciat quemdam ex istis, quod nullam commisit culpam in aliqua actione, motiva scrupulosus adinvenit se de novo accusandi, vel diverso aliqua modo se accusat; majorem dicit adhibendam fuisse prudentiam, melius perpendendas circumstantias et personas, quae scandalum pati potuissent, etc. Et de istis quoque non extantibus culpis convictus, adhuc non quiescit, et novas profert accusationes, atque novis cruciatur tormentis, novisque remorsibus.

In nonnullis autem eousque progrediuntur remorsus, ut formam induant veri delirii. Sed hisce quoque

in casibus motiva sunt prorsus futilia. Quis enim non recordatur scrupulosum remorsibus oppressum ob districtam dentibus Hostiam, vel inter dentes fragmenta sacra retenta?

Habentur insuper remorsus ob crimina, ad quae superius descripsimus dari impulsiones. Et revera notandum equidem est, quod aegroti, qui dicunt se urgeri ad homicidium patrandum, iidem saepissime sunt, qui aliquot post dies remorsus experiuntur perinde ac si crimen illud revera patrassent. Alii vero dantur aegroti, qui seipsos de culpis accusant, quin antea tamen ullas experti sint impulsiones. Plures hujus generis casus refert Janet. In aliis praeterea alicujus culpae remorsus innascitur, quando jam audierunt, commissam realiter illam culpam fuisse ab alia persona, vel quando de ea quem abstracte loquentem auscultant, vel legunt moralem librum, qui media suggerit ad culpam illam praecavendam. Alii denique vagum quemdam habent sensum remorsûs; et tunc casus verificatur de remorsu generali, qui cunctos vitae actus afficit, quique profecto minus communis est, at ceteris gravior.

Sed frequentior occurrit remorsus vocationis. Dantur nempe aegroti, qui remorsu cruciantur quia non audierunt, vel contempserunt vocationem ad quam invitabantur, ex gr., ad vitam sacerdotalem vel religiosam vel etiam ad alia munia subeunda et adimplenda.

Omnes autem hujusmodi obsessiones sive idearum moralium, sive impulsionum, sive remorsuum, licet differant inter se, exhibent tamen, uti animadvertit Emyeu, communes quosdam characteres, qui ipsi Janet motivum praebuerunt ad eas copulandas sub nomine: *Obsessiones criminales.*

c) — *Obsessiones contemptus et pudoris de seipso.* — Aliud extat obsessionum genus, quae valde similes sunt jam descriptis, quaeque saepe in scrupulosis inveniun-

tur vel solae, ut in casibus levibus, vel etiam obsessionibus aliis conjunctae.

Difficile equidem est, ait Janet, uno reassumere verbo generalem rationem, quae inest hujusmodi ideis. Agitur enim non tantum de remorsibus proprie dictis, sed de vero suiipsius contemptu, seu de sensu quodam aegritudinis et tristitiae, sub quo tam propriae actiones, quam ipsa moralis facultas, necnon persona ipsa et corpus respiciuntur.

Hujusmodi quippe affecti morbo ideam constantem habent, juxta quam omnia quaecumque agunt, totum id quod sunt, et quod ad ipsos pertinet consideranda sunt ut ommino mala, et despicienda; unde Pitres et Régis tales obsessiones haberi docent, tamquam communiorem notam, pudorem de seipso, et Janet eas appellandas proposuit: *obsessiones contemptus et pudoris.*

Distingui autem possunt in duas classes, ad quarum primam pertinent aegroti, qui suam intelligentiam, voluntatem, etc. spernunt; et ad alteram, qui proprium despiciunt corpus. Nunc itaque priorem consideremus.

Heic porro habetur typus communis aegroti, qui moerens actus suos religiosos considerat, vel, in genere, quodcumque vellet majori cura perficere. Statum eheu! admodum tristem et miserrimum!

Confessiones in primis et Communiones, quas male peractas ipsi judicant, causa sunt trististiae et angoris; dein ipsae orationes; unde melius atque melius orare conantur, et preces fundunt quam plurimas et interminas.

Ad alios praeterea actus extenditur aeger eorum animus, ad quamlibet nempe rem, cui inesse illis videatur aliqua ratio moralis, atque ad omnia, quae accuratius perficienda putant. Atque idcirco anguntur, et de quibusvis actibus se accusant; quinimmo ad seipsos denigrandos urgentur, necnon humiliandos, puniendos, et etiam materialiter semetipsos vexandos.

Singularem et notatu dignum enarrat casum Janet. Aegrotus quidam seipsum exprimebat his verbis: « Omnia crimina me commisisse videor; et de omnibus sum exprobrandus...; nemo potest me arguere quantum ego meipsum arguo, et quantum mereor...; omnia mala quaesivi...; numquam adversus peccatum certavi...; somniis afficior malis, et pravis contra mores ac Deum cogitationibus; idque bis centum in die vicibus contingit.... ; damnatus, perditus sum! ». Et quoniam non quemlibet bonum sensum iste aegrotus amiserat, quotiescumque Janet illum persuadebat de contrario et ipsi ostendebat actum in se bonum fuisse, subtiles adinveniebat distinctiones inter actum in se et intentionem.

Sed maxime hujusmodi aegroti anguntur propter confessiones. Hae quippe non recte nec complete peractae ipsis videntur, quia non clare confessario animum aperuerunt, non satis circumstantias descripserunt, minuere culpas, invenerunt excusationes, etc.; ideoque confessiones de novo instituunt omnia totius vitae peccata enarrantes. Sed neque adhuc quiescunt; cogitant enim non satis instructum esse confessarium, forsitan non praebuisse attentionem, surditate laborare, gravitatem peccatorum haud perspicere, et ita porro. Unde nova tormenta, novum conscientiae examen, novaeque confessiones. Et post haec, alia suggerit subtilis spiritus sophismata, novasque distinctiones; ideoque iteratur, examen, et alia atque alia effinguntur falsa motiva ad novas producendas afflictiones.

At praeterea hujusmodi aegroti non tantum se culpis gravatos putant, sed hanc culpabilitatis opinionem etiam fovent augentque, existimantes sese ab illa induci ad opera meliora perficienda, vel ad vitia et defectus evitandos.

Censent enim, quod, si hic animi sensus desineret, ad malum urgerentur et in graviora prolaberentur pec-

cata; quin immo in ipsis confessionibus declarant se certissime in perditionem abituros, quia prorsus incapaces evaderent distinguendi bonum a malo.

Hae vero obsessiones varias induunt formas, quarum praecipuae ita recensitae sunt primo ab Janet:

1) Obsessiones dubii. Scrupulosis intima inest persuasio, quod neque videre neque intelligere rem aliquam valent: unde omnia objecta per factum verificare volunt, et iterum iterumque. Noti equidem sunt omnibus confessariis hujusmodi casus, quia communiter in scrupulosis contingunt, sive in recitando officio vel rosario, sive in celebratione Missae; semper enim dubitant, an aliquam partem omiserint et, an rite pronuntiaverint.

2) Obsessiones relativae ad amentiam: quae verificantur, quando aegrotus se insanum esse contendit, vel, quod pejus est, impulsum experitur ad sese tamquam dementem gerendum, vel denique quando continuo timore afficitur insaniendi.

3) Obsessiones relativae ad personalitatem: quibus affecti propriam amisisse putant personalitatem, mentemque semper falli circa ea, quae visa et audita sunt, quia putant, non seipsos proprie esse, qui hoc viderunt vel illud audierunt.

4) Obsessiones desiderii. Extant, scil., aegroti, qui nihil aspicere possunt, quin illud desiderent.

5) Obsessiones pudoris. Pudor, ajunt, est unicum bonum; quo amisso, nulla ulterius spes manet animam salvandi. Vel etiam sese accusant de nefandissimis actibus secreto aut publice patratis, de scandalis puerulis exhibitis, etc.

6) Obsessiones amoris. Dantur, ex. gr., desponsatae puellae, quae putant, insufficienti adhuc amore prosequi sponsum.

Sed et alii habentur casus, in quibus ob talem obsessionem quis desiderat non amari ab iis, quibus ali-

quo conjunctus est vinculo, vel irrationabiliter timet, se non amari, immo et despici a personis carissimis.

At praeter hujusmodi formas, aliae etiam inveniuntur, quae facile reduci possunt ad ideam spernendi seipsum; quasque expedite recognoscere unusquisque valet, quin necesse sit specialem de his mentionem facere.

d) — *Obsessiones contemptus proprii corporis.* — Quartam itaque classem nunc inspiciamus.

Idea spernendi atque erubescendi saepe respicit, ut jam dictum est, ipsum quoque corpus, seu physicam personam. Plures equidem sunt, qui hujusmodi morbo laborant, et singularem constituunt categoriam, cujus gravitas concipi nequit, nec rite cognosci, nisi ex frequentibus experimentis. Vocantur autem ab Janet « *honteux de leur corps* ».

Ex his vero aliqui sunt, qui formâ morbosa completa afficiuntur, et in hoc casu totum corpus despiciunt, cunctasque ejus partes, et idcirco eorum obsessio subdivitur in plura deliria parva particularia. Alii autem non hucusque procedunt, sed eorum obsessio ad unam tantum partem vel functionem proprii organismi pertingit. Forma morbosa vero frequentior habetur in iis casibus in quibus despiciuntur genitalia organa et tam gravis quandoque est, ut miseros adducat ad actus brutales et violentos contra seipsos.

At non immorandum in his formis describendis censemus, quia in tribunali poenitentiae rarissime occurrunt. Non enim agitur de christiana carnis mortificatione.

e) — *Obsessiones hypochondriacae.* — Hoc genus obsessionum frequens satis habetur, et nihil aliud sunt istae obsessiones nisi sollicitudines enormes seu praeoccupationes circa salutem, vitam etc.

Typicum ad rem reminiscimur casum cujusdam aegroti, qui prius obsessionibus religiosis affectus, in obsessionem ultimo incidit salutem corporis respicientem.

Hujusmodi autem forma per diversas potest ideas obsidentes explicari; ex. gr., per ideam mortis, sepulturae proprii corporis adhuc viventis, deglutiendi acus, sese feriendi, vulnerandi, laborandi tuberculosi vel lue venerea, patiendi quoddam organon viscerale infirmum, vel habendi hoc vel illud organon praegrande, perparvum, insufficiens, disruptum, etc.

Tales vero obsessiones, licet frequentes, raro tamen confessariis exhibentur, quia de his silet aegrotus; et nonnisi obiter eas manifestat, cum de aliis loquitur, sicut, ex. gr., cum verba facit de recitatione officii, de missae celebratione, de adimpletione muneris proprii, etc.

Huic obsessionum classi quam plures et notabiliores impulsiones nectuntur. Et revera, hujusmodi ideae hypochondriacae producunt in aegrotis sensus quosdam insolitos et abnormes. Instinctus quippe propriam vitam conservandi, timor mortis, infirmitatis, aegritudinis talia ac tanta gignunt desideria, quae rationem habent peculiaris cujusdam invicibilitatis. Et sane sollicitudines, quas gerunt isti aegroti, anxietates, quibus afficiuntur, evidenter ostendunt, ipsos veras pati impulsiones; uti, ex. gr., contingit in dipsomanis (qui alcohol bibunt non sese inebriandi causa, sed quia putant per ipsum sanitatem esse obtenturos), in nonnullis morphinomanis, cocainomanis, cloraliomanis, etc. Eamdem quoque habet originem *bulimia* (seu impulsio ad comedendum), *dromomania* (seu mania deambulandi), impulsus ad physicum malum sibi procurandum, etc.

Hujusmodi vero formae parvi quidem, si in seipsis considerentur, confessariorum interesse videntur; sed earum cognitio utilis evadere potest, quia optime inservit ad efformandam vel constabiliendam diagnosim

scrupuli, quae difficilius, ob varias circumstantias, alia ratione perficeretur.

Cognito itaque objecto idearum obsidentium, essentiales earum characteres et formam investigari nunc juvat.

§ 3. — Characteres idearum obsidentium.

Ut exactam valeamus efformare diagnosim de morbosa, quam modo perscrutamur, forma, non sufficit tantum cognoscere, quid contineant ideae obsidentes, sed necessarium etiam est inquirere modum, quo istae ideae exoriuntur et apparent, characteres, quibus praeditae sunt, leges, quibus obediunt in sua evolutione, etc. Uno verbo investigari debemus *formam*, uti rite dicit Janet, harum idearum.

Sed contra hujusmodi investigationem vel studium, gravis jam ab initio oritur difficultas. Et revera, qui tali morbo laborant, non eadem semper symptomata praeseferunt. Possunt enim temporaneas aliquas subire periodos perturbationum valde gravium, vel etiam in quodam statu versari, qui parum a normali differat.

In hisce autem diversis periodis ideae obsidentes non semper proprium characterem conservant. Unde convenit quidem statum mediae evolutionis nunc perscrutari, ulteriora interim differendo studia circa examen variorum statuum evolutionis, cui obnoxiae sunt hujusmodi ideae; seu, aliis verbis, tum formas incompletas, tum eas, in quibus eousque pertingit evolutio, ut characterem etiam assumat veri et proprie dicti delirii, deinceps investigabimus.

Medii vero status, de quibus modo est agendum, nuncupantur, ii in quibus habetur obsidens idea ita certa et praecisa, ut subjectum valeat cognoscere quid sit, quod illud obsidet, et in quibus insuper aegroti in-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

telligentia tam integra manet, ut possit obsessionem ejusque absurditatem, saltem ex parte, cognoscere.

Hujusmodi igitur characteres nunc videamus.

a) — Idea obsidens est quaedam idea fixa.

Ideae obsidentes nunquam simplices sunt, vel purae repraesentationes mentales, sed quoddam complexum phaenomenon a generali idea constitutum ordinis practici aut imperativi, sicut, ex. gr.,: « Sed ego forsitan non feci hoc »; « Sed ego forsitan feci illud »; etc., cui adsociatur particulare aliquod judicium.

Istae operationes mentales exaggeratam induunt gravitatem, excessive spiritum occupando, si ex una parte eorum inutilitas perpendatur, et ex alia quod aegroti intelligentia sufficeret ad distinguendum quod faciendum est ab eo quod non est faciendum, seu quod est peccatum ab eo quod peccatum non est. Et revera non intelligitur, quomodo decem et plures etiam horae insumantur in meditatione sacrilegii vel mortis. Sed praeterea, ut optime animadvertit Sollier (1), ideae obsidentes sunt species quaedam *alogicae*, quae vix conscientiam attingentes evanescere statim deberent ob defectum cujuslibet utilis et sufficientis rationis; dum e contra semper conscientiam aggrediuntur et possident, velut metuenda et obstinata spectra, quae licet feliciter interdum arceantur, nunquam tamen desint novas aggressiones moliri.

Sed ad melius earum naturam intelligendam aliquantum consideramus, quomodo ipsae evolvantur.

Simul ac incipit forma morbosa, in mente aegroti nonnulla exoriuntur judicia naturae plerumque moralis, quae illum quodcumque operantem continuo angunt et vexant. Unde plurimas, quas perficit, actiones iterum iterumque firmandas esse putat aegrotus ob judi-

(1) *Le doute*, pag. 33 n.

cia insurgentia, quibus opprimitur. Ita, ex. gr., propter exortam in mente cogitationem: « Oportet epistolas rite obsignari, » dubiis torquetur, an literae mittendae sedulo sint obsignatae. Item ex eo, quod « non sunt fovendae malae cogitationes » dubiis angitur, num quamdam ideam ipse permiserit in sua mente consistere. Item ex eo quod: « non licet alterius rem apud se retinere », dubiis cruciatur, utrum exacte aliquod debitum solverit. Et ex eo, quod: « bene claudenda est janua, quando quis domo exit », dubiis vexatur, an clavis rite immissa et versa sit in seram. Ex eo etiam, quod: « conscium lethalis peccati non licet ad communionem accedere », angitur circa confessionem hujus vel illius culpae. Et ex eo pariter, quod: « omnia confitenda sunt peccata », moerens dubitat, an integre cuncta peccata exposuerit, et circumstantias et species accusaverit.

Sed factum peculiare observandum occurrit in istis aegrotis; quod scilicet ut inquit Emyeu, (1) paullatim, et fere semper, hujusmodi variae praeoccupationes, vel saltem graviores, et quae potissimum respiciunt ordinem practicum, citius resolvuntur in unam, vel duas aut tres ad summum; et praecipuum maximumque constituunt objectum continuum totius vitae mentalis aegroti.

Hoc equidem accidit, ut plurimum, per conceptionem cujusdam ideae generalis, quae se extendit ad omnia. Ita, ex. gr., praeoccupationes omnes, quae pertinent ad vitam moralem, saepe saepius reassumuntur in universali hac formula, quae alias omnes amplectitur: « Tendendum toto animo est ad perfectionem », vel: « Adimplendum est proprium officium ».

Haec autem reductio fieri etiam potest, ut idem auctor observat, (2) per substitutionem; ex. gr., propositio: « Oportet credere hoc, illud, etc. », substitui potest con-

(1) *Op. cit.*, pag. 11.
(2) *Op. cit.* pag. 12.

ceptui rite peragendi communionem, confessionem, etc., quia unum aliud praesupponit. Vel praeterea haec reductio fieri etiam potest per derivationem; quod contingit, cum attentio magis atque magis alicui judicio, tamquam centro principali, intime adhaerens, sensim sine sensu cetera omnia consideranda seponit. Sed quaecumque sit formula, quae ultimo dominatur, inquit Janet, (4) praevalentem semper ostendit praeoccupationem individui obsessi. Ita, ex. gr., si ille judicet: « Hoc est agendum », istud super omnia tunc maximi faciendum est, et desiderium evadit supereminens intime radicatum non in instinctu sed in conscientia reflexa. Item si cogitet: « Hoc est vitandum » illud hoc ipsi repraesentatur tamquam objectum maximi odii, omnium turpium turpissimum malum, a quo proinde quam potissima curâ et sollicitudine cavendum est.

Quilibet vero sit processus, quo facta est reductio, ultima conclusio semper eadem est: praedominium videlicet unius obsidentis ideae in animo scrupulosi. Atque ita scrupulosi alii habentur fere exclusive affecti praevalentibus ideis sexualitatis, alii sacrilegii, alii criminis, alii aegritudinis et ita porro.

Sed nunc analysim ideae obsidentis prosequamur.

Considerata in suis elementis constitutivis videtur, sicut jam dictum est, idea obsidens constare ex uno judicio generali, (ex. gr.: « Non est orandum cum distractione »; « otium fugiendum est »; « non sunt proferendae blasphemiae »; « non sunt facienda peccata », etc.) et ex altero particulari, (ex. gr.: « Atqui ego forsitan distracte oravi »; « forsitan otiatus sum »; « forsitan blasphemavi »; « forsitan commisi hoc peccatum », etc.).

Judicium vero generale respicit illud omne, quod quis maxime diligit vel odit; et est, ex. gr., pro viro religioso quodcumque peccatum; sicut pro eo, qui de

(1) *Obsess. et psysch.*, Vol. 1. pag. 77.

propria valetudine admodum formidat, quilibet hypotheticus morbus. Sed considerandum etiam est, quod imperativum judicium nil mali continet; quin immo quandoque bonum est, puta illud: « In statu gratiae oportet me esse », vel: « Hoc minime agere debeo », vel: « In conversando charitatem debeo observare », vel: « Debeo in omnibus prosequi perfectionem », et alia hujusmodi (1).

Sed ex tali consideratione sponte haec oritur quaestio: Si judicium, cui tota innitur idea obsidens, nil plerumque in se continet mali, quin immo bonum esse etiam potest, vel saltem indifferens, quaenam est igitur ratio, ob quam irrationabilis et morbosus dijudicatur scrupulus et obsessio?

At quaestio facile solvitur, si animadvertatur, non in generali, sed in particulari, quod consequitur, judicio defectum haberi. Adhibeamus exemplum: Hoc iudicium « Omnia confitenda sunt peccata » rationabile et bonum est; sed additur: « Atqui ego *forsitan* non omnia peccata mea confessus sum ». Normalis et sanae mentis vir in casu praesenti conscientiae examen instituit, diligenter inquirens, quaenam peccata commiserit, quaenam sincere confessus sit, quamnam curam adhibuerit in examinanda propria conscientia, etc. Et, si his omnibus rite absolutis, nihil omnino inveniat, quiescit; nec ullum ulterius valorem tribuit exorto in animo dubio, quia inspicere potuit, illud *forsitan*, seu illam formidinem non esse adhuc prudenter fovendam, nec retinendam.

---

(1) Medici psychiatrae a pluribus jam annis notam hanc bonitatis vel saltem moralis indifferentiae judicii imperativi observaverant, ideoque hoc phaenomenon nomine appellaverunt, quod duos simul jungit terminos antitheticos: *delirium consciens* vel *dementia lucida*. Melius autem infra videbimus quaestionem quae cum tali denominatione connectitur.

Scrupulosus vero millia millium cogitat, vel minima quaelibet inexistentia, ut illi *forsitan* adhaereat. Unde evidens est, quod in illiusmodi obsessis error non habetur ex parte praemissae majoris syllogismi, quae est, ut constat, perfecte rationalis: « Hoc est faciendum; illud non est faciendum », sed ex parte minoris, quae illegitimam parit jugem haesitationem et anxietatem: « Atqui *forsitan* hoc vel illud non egi ».

Et est profecto illud *forsitan*, quod influit in ratiocinium, et anxium impellit subjectum ad minimos quoque indagandos et verificandos actus omnes et cogitationes, continuo interim permanente dubio et angore. Morbosa igitur hujus ideae obsidentis ratio invenitur in irrationabili instantia illius *forsitan*, seu dubii, animum scrupulosi inique affligentis.

Haec porro psychologica analysis ad scrupuli definitionem adducit, quam jam tradiderat S. Alphonsus de Ligorio (1), inquiens: « Conscientia scrupulosa est ea, quae ob levia motiva absque rationabili fundamento (scrupulus enim est inanis apprehensio) saepe formidat de peccato, ubi revera non adest ».

Evidens itaque est, ait Emyeu (2), motivum, propter quod ratiocinatio scrupulosi laborat forma morbosa, abnormi et illegitima. Non igitur, generatim loquendo, morbosa provenit ratio ex judicio morali, quod in syllogismo tenet locum majoris, sed ex gravitate excessiva, quae minori tribuitur; seu, non est insipiens principium, sed est insipiens ejus applicatio. Homo quippe sanae mentis absurditatem dubii recognoscens, illud statim deponit; et si aliquo instanti idea insana animum occupare conetur, eam facile despicit, et tamquam morbosum phantasma propulsat, rectis innixus motivis, quae ex sensibus, ratione et ipsa fide suppeditantur.

---

(1) *Theol. mor.*, l. I, n. 11.
(2) *Op. cit.*, 18.

Animadvertendum denique est, quod hujusmodi dubium, licet omnibus scrupulosis commune, non in omnibus tamen eamdem gravitatem assumit; sed plus vel minus ita evolvitur, ut in quibusdam varias etiam peculiaresque consequatur rationes, quae novas superraddunt scrupuli formas.

b) Status aegroti ideis obsidentibus affecti potest nuncupari dementia lucida (1).

Iam innuimus, scrupulosum conscium esse irrationabilitatis dubii, quo excruciatur; ideoque perturbationem psychicam ideis obsidentibus obsignatam diximus dementiam lucidam rite nuncupari.

Nunc itaque accuratius examinare oportet hujusmodi denominationem, ut quaestio valde gravis solvatur.

(1) Ad rem recolit Janet (*Obsess. et psych.*, pag. 73) quod conjunctio horum nominum *dementia* et *lucida* indignationem provocabat doct. Thulié, qui maniam ratiocinantem penitus denegabat; legitima tamen haec denominatio videtur. Et revera, terminus prior significat, quod idea obsidens vi propria insidet aegroto, in cujus spiritu evolvitur independenter a circumstantiis externis et a voluntate subjecti. Alter vero terminus denotat subiectum tamquam cognoscens, et per seipsum suam ideam percipiens; ideoque vocibus opponitur *inconsciens* et *subcosciens,* quae phaenomenis appropriantur ignotis aegroto. Significatur itaque in praesenti, quod aegrotus suam ideam comprehendit, eamque judicat et considerat sub ratione verae realitatis ac relationis ad alias, quas habet, cognitiones. Altior igitur signatur intellectualis operatio, quam sit simplex conscientia psychologica. Unde si possibile foret terminos, qui in usu sunt, immutare, dicendum esset, heic agi de obsessionibus cum judicio, vel de obsessione recognita et critice expensa ab aegroto. Ceterum hi duo termini relate ad scrupulosos recti omnino et legitimi sunt. Aegrotus enim obsidetur et vexatur ab idea, quae in ipsum dominatur, quin ulla aequa adsit ratio ex parte circumstantiarum, vel ex parte alicujus liberi actus ipsius subiecti. Talis profecto naturae idea illa est, ut habeatur tamquam delirium vel impulsus; sed non ideo aegrotum afficit sub hac formali ratione. Aliquatenus enim apprehendit absurditatem suae ideae, quam judicat et repellit. Est porro obsessio cum critica. (JANET, Op. cit., pag. 23).

Terminus igitur *lucida* additus ad terminum *dementia*, ad hanc formam morbosam significandam inservit, et adhibitus est ad denotandum factum singularissimum, quod deprehenditur in iis, qui obsidentibus ideis laborant.

Et revera, ideas obsidentes potentiam habere cognoscimus ad ratiocinationem quidem interrumpendam, sed non corrumpendam. Hujusmodi enim ideae deprehenduntur et verificantur in hominibus, qui ceteras omnes operationes psychicas normaliter peragunt.

Quin immo aliqui homines habentur, intelligentes et docti, ex. gr., scriptores, ingenuarum artium professores, medici, advocati, etc. qui praeclara gaudent foecunditate intellectuali, et nihilominus has exhibent ideas. Hujusmodi nempe ideae obsessivae vitam psychicam ingrediuntur ad perturbandas logicas operationes, inter quas apparent tamquam elementum heterogeneum; sed numquam valent ad sese assimilandas cum ipsis, nec pertingere possunt ad participandam psychicam aegroti personalitatem, quinimmo cum ipsa sunt aliquando in conflictu. Et hinc intelligere possumus, quomodo fiat, ut aegrotus proprium statum cognoscat.

Talis autem idearum obsidentium character inservit ad hujusmodi ideas distinguendas et discriminandas a communibus ideis fixis hystericorum, necnon ab aliis formis dementiae.

Scrupulosus enim vere suam cognoscit amentiam, pleneque conscius est sui status; ac mira quadam psychologica ratione, quam clare exposuit Janet (1), et de qua inferius nos etiam agemus, totus in eo est, ut quam maximo studio conservet suam ideam, quamvis ejus irrationabilitatem perspiciat. Plurima equidem facta evidenter ostendunt, hujusmodi aegrotos sui status conscientiam habere. Et sane, liberum spiritum plerumque simu-

(1) *Obsess. et psychast.*, Vol. 1., pag. 96.

lant ac independentem; sese etiam gerunt interdum tamquam homines superiores, et talia quoque proferunt judicia, ut quis facile decipi possit circa statum, in quo revera versantur. Quin immo scrupulosus eousque pertingit, ut sortem aliorum irrideat, qui eodem morbo laborant. Ad rem narrat Emyeu, (1) quod quadam die, exponens ipse suam de scrupulosis theoriam, multis etiam et peculiaribus factis illustratam, coram pluribus personis, inter quas aderant et scrupulosi, animadvertebat neminem, ac ipsos, majori jactantia se gerere et cachinnari. Sed hoc etiam ex eo confirmatur quod ipsi, quando post longum quidem tempus, quo jam morbo affecti sunt, titubantes aliquid de proprio statu manifestant, bene clausis januis, nulloque adstante teste, loqui desiderant. Uno verbo, hujusmodi aegroti proprium statum tegere et simulare totis viribus conantur, quia rite intelligunt, quam miserrimus hic sit et infelix. Sed adhuc proprii morbi naturam comprehendunt, quia simul ac ad medicum recurrendum esse decernunt, non alium medicum, quam alienistam adeunt, vel etiam sacerdotem, qui valeat eos adjuvare, et de eorum mente quamlibet falsam ideam ejicere. Hoc profecto demonstrat, ipsos non tantum cognoscere, quod falsis ideis laborant, sed etiam quaenam illae sint; et ideo nullam ipsis fidem praestant.

Sed et insuper ipsi sunt, qui, post adhibitos multos et irritos conatus ad cohibendas proprias inclinationes et angores, exclamant: « Sed dementium ista res est! » Et percutiunt manibus caput, ingentibusque affliguntur tormentis. Nec admodum raro contingit, quemdam ex istis ad poenitentiae tribunal accedere seipsum accusantem de quibusvis gravissimis criminibus; sed, cum confessarium jam in eo esse putant, ut eorum dictis credat, statim illum admonent, dicentes: « Quae confessus sum, putasne, Pater, vera esse posse? »

(1) *Op. cit.*, pag. 21.

Haec autem proprii status cognitio, quam hujusmodi aegroti diutius conservant, quaeque etiam existit, ut inquit Emyeu, (1) una simul cum idea insana, veram propriamque constituit rationem ipsius obsessionis: nec umquam amittitur, nisi in rarissimis casibus, cum nempe forma morbosa ad ultimum potentiae pervenerit.

In dementibus e contra idea absurda complete et inconditionate recipitur; imbibitur quippe in conscientia et fit veluti quid unum cum ipsa, sicut cibus, qui convertitur in substantiam sumentis. Cum autem in demente ideae fixae et delirantes habentur, tunc idea haec delirans absorbet et vincit conscientiam personalem recipiendo et assimilando sibimetipsi quidquid juvat, et repellendo e contra, et negando ut falsum, quidquid contrarietatem importat. Hac itaque ratione magis atque magis in aegroti spiritu radicantur, et realiter *fixae ideae* illae fiunt, ac tales revera sunt juxta propriam vocis significationem.

Diversimode autem agunt ideae fixae hystericorum. Vera enim harum idearum crisis perdurat, reproducitur, et excitatur veluti vi quadam machinali, seu, ut ajunt, automatice. Subjectum quippe, eas prorsus vel quasi ignorans, negative tantum aut indifferenter se habet ad illas; sed ipsae statim exoriuntur, simul ac aliquod relativum elementum fuerit evocatum. Ex. gr., in eo, qui incendii patitur hallucinationem, crisis reproducitur, cum perspicit aliquam flammam, vel audit altisonum tubae militum, qui addicti sunt ignibus extinguendis; quia flamma illa vel sonitus talia sunt elementa quibus incendii idea adsociatur. Adhuc hystericus, qui se projicit in terram, ac se imaginatur contusum et attritum ab ingentibus viae ferreae vehiculis, tales horrore plenos extollit clamores, vultumque adeo immutat, ac tam realiter opprimitur deliquio, ut facile unusquisque

(1) *Op. cit.*, pag. 21.

intelligere possit, infelicem illum tamquam verum et reale objectum apprehendere, quod est dumtaxat hallucinationis effectus.

In scrupuloso vero res aliter omnino se habet.

Ejus enim ideae fixae non unice vi propria perdurant, sed facili dumtaxat ipsius subjecti voluntate. Scrupulosus, inquit Janet, (1) per multas horas plangit, quoniam non omnem curam adhibuit in nummis enumerandis, quos restituere debebat, et quia idcirco putat furatum esse aliquot asses. Sed si quis illum urgeat ad pecuniam restituendam, vel furem eum esse affirmet, numquam erit consilium restituendi amplexurus, et alte praeterea clamabit, quia se injuriatum existimabit et offensum. Sed insuper, ut jam superius retulimus, optime sciunt confessarii, quod hujusmodi aegroti, dum, ex. gr., affirmant, se innumera peccata patrasse contra castitatem, et continuo impuris cogitionibus laborare, si de istis actionibus redarguantur, et homines inhonesti, vel peccatores appellentur, sese offensam recepisse putant; et gaudent e contra, quum quis ipsos laudat eorumque rationem agendi. At modus etiam, quo loquuntur, hanc veritatem confirmat. Saepe enim ajunt: « *Optime scio,* me nihil mali commississe, ideoque inutile prorsus est quemlibet interrogare, qui mea dicta comprobet ».

Concludendum igitur est, quod scrupulosus revera cognoscit, irrationabiles esse suas obsessiones (2).

---

(1) *Op. cit.*, pag. 75.

(2) Animadvertendum tamen est, *absolute* affirmari non posse, quod scrupulosi nullatenus credant propriorum obsessionum realitati. Si enim ita foret, nullum paterentur angorem; dum e contra vere cruciantur, et quidem vehementer. Insuper, quod obsessionibus suis credant, etiamsi simulent opinionem habere, quod illae sint deridendae, ex eo patet, quod ab iis eo magis liberantur, saltem ad tempus, quo magis agnoscunt earum absurditatem.

At si res ita se habet, quare, inquit Janet (*Op. cit.*, pag. 105) critica illa judicia, quae ostendere videntur, hujusmodi aegrotos nullam praestare fidem suis obsessionibus, miscentur et super-

Sed paucis nunc perstringamus, quae jam dicta sunt. Prima et potior ratio ideae obsidentis consistit in hoc, quod sit idea fixa, irrationalis, ab aegroto cognita, qui eam simul tamquam absurdam adversatur, et tamquam aliquid pretiosum fovet; ideoque dicendum est hujusmodi morbosam formam esse dementiam lucidam, cujusdam ideae obsidentis insistentia obsignatam, quae ab ideis fixis dementium et hystericorum discriminatur ob cognitionem, quam de ejus irrationabilitate habet aegrotus.

---

adduntur inclinationibus ad actionem et mentales repraesentationes (impulsiones, inquam, et hallucinationes, de quibus loquemur inferius) quae comprobare videntur, ipsos credere in ideas, quibus afficiuntur?

Dicendum in primis est, quod duo ista phaenomena fere numquam simul existunt. In criseos enim periodis scrupulosi suam obsessionem admittunt, quam non existere autumant in periodis luciditatis. Haec tamen distinctio non omnimoda certitudine gaudet; unde exactius forte dicendum est, quod hujusmodi aegroti numquam ad absolute affirmandam aut denegandam pertingunt irrationabilitatem suarum obsessionum. Versantur quippe, ut inquit Janet, in statu quodam intermedio, qui contradictionibus scatet. Agnoscunt enim suam ideam communi opinioni haud consonam, nec publice manifestandam iis esse, qui illam ignorant; insuper morbum suum circumscribunt in uno tantum effectu, et nolunt, quod extendatur ad alios, haesitant tamen juxta diversa momenta. Permanent igitur in quodam statu dubietatis, pleno maximi angoris.

Unde aliqui auctores (Legrand du Saulle et Arnaud) statum hunc peculiarem morbum constituere affirmarunt, qui dicitur: *Delirium dubii*. At recte animadvertit Janet (pag. 106) quod dubium non est quaedam obsessio, sed forma, quam potest assumere haec vel illa obsessio. Quae animadversio valet etiam post recentes censuras ipsius Sollier, qui adhuc urget denominationem: *Morbus dubii*; quia retinet, dubium esse phaenomenon magis proprium et firmum ipsius psychastheniae. Sed huic affirmationi totum illud opponitur, quod supra expositum est; dubium videlicet aliquid prorsus diversum esse ab obsessione.

Et revera, non omnes, qui dubii morbo laborant, ideis etiam obsidentibus afficiuntur.

c). — De permanentia et frequentia idearum obsidentium. Nunc autem circa ideas obsidentes considerandum est tempus, quo perdurant, et facilitas, qua revocantur.

Idea obsidens potest longissimo tempore in scrupulosis permanere, pluribus etiam annis: immo, juxta J. Falret, nonnullae ideae obsidentes toto vitae tempore perdurant, licet interdum apparenter tantum remittantur.

Sed notandum est, quod licet haec permanentiae ratio sit per se pathologica, non in ea tamen est, unice reponenda illogica harum idearum natura. Relativam quippe dumtaxat continet gravitatem. Ipsi quoque aegroti ejus enormitatem agnoscunt, nullatenus comprehendentes, quomodo tam diu et tam instanter eadem idea vana et fatua eorum animum occupet.

At evidentior et gravior apparet ratio frequentiae, qua ideae obsidentes repetuntur. Narrat porro Janet, quod mulieris cujusdam obversabatur menti eadem obsidens idea bis centum in die (1). Sed in nonnullis aegrotis talis frequentia habetur, ut possit affirmari, nusquam in ipsis evanescere illiusmodi ideas.

---

(1) Animadvertendum est, quod non est confundenda haec frequentia cum mania numerationis (arithmomania, numeromania) qua nonnulli ex his aegrotis laborant. « Pater, mihi quidam aiebat, confiteor, me admisisse turpium cogitationum tria millia, distractionum in celebratione Missae decem millia, detractionis peccata quingenta, etc. ». Hisce quippe in casibus aegrotus idea obsidente afficitur, de numero determinando quoad singulos actus et quod alia etiam objecta: atque adeo vere et proprie numeromania perturbatur, ut nesciat de rebus quibuslibet loqui, nisi eas numeris computando. Notandum vero est, quod tamquam fundamentum hujus obsidentis ideae de numero extat frequentia aliarum idearum (in casu nunc enarrato turpium cogitationum obsidens idea). Sed de hujusmodi mania inferius agemus, cum de ipsis agitationibus sermo erit.

Sed observandum sedulo est, quod ideae obsidentis permanentia ac frequentia non sunt habendae — ut facile quis opinari posset — tamquam phaenomena omnino automatica, quae vi quadam eis insita protrahantur. Aegrotus equidem affirmat in seipso sponte exoriri ideam obsidentem, ac persistere, licet nihil ipse agat, ut ea permaneat, et potius percupiat omnimodam ejus ejectionem. Sed in hoc fallitur, vel, melius, seipsum fallit aegrotus. Et revera, ut aliquod factum demonstrativum ad rem afferamus, mulier quaedam, narrat Janet, (1) liberari utique ab obsessione expetebat, sed simul angebatur, quia, cum se putaret idoneum et facile esse hypnotismi subjectum, timebat, ne per somnum hypnoticum sanaretur. Suas itaque ideas studiose fovebat, nec quid ad ipsas pertinens renuntiare volebat, nisi importaret excessum et exaggerationem. Unde, quando melius se habebat, et idea obsidens evanescere videbatur; « Oportet, dicebat, ad quietem et tranquillatem habendam, ut eam ideam retineam; nec ullo pacto possum me determinare ad illam non amplius mente cogitandam ». Quapropter, dum Janet conabatur illam obsidentem ideam expellere, aegrota e contra enixe contendebat, ne ipsa removeretur; gaudebatque et laetabatur conatu irrito Janet. Et quando Janet mulierem subjecit levi statui hypnotico, ipsa, hujusmodi statu perdurante, nitebatur contradicere et dissolvere fixas ideas aegrotae; sed hoc miros admodum resistentiae effectus produxit. Nam mulier, horrore repleta, ab Janet recedebat, contrahebatur, dentesque distringebat, ne verba repeteret, quae ei suggerebat Janet; quin immo deprecabatur, ut ideas, quas ab Ecclesia didicerat, nemo removeret ab ea. Et quamvis aliquando obediret ipsi Janet, modica admodum erat haec obedientia et pluribus referta exceptionibus. Ad explicandas autem vel excusandas omnes hujusmodi oppositiones dicebat, diabolum esse, qui resistentiam agebat, dum e contra ipsa revera erat, quae suas ideas obsi-

dentes libentius in corde retinebat et conservabat, nec eas auferri volebat.

Hujusmodi vero facta, rite animadvertit Emyeu, (1) omnes confessarii agnoscunt, qui ex experientia optime sciunt, scrupulosum turbari, si incipit recuperare sanitatem, angi, si dubiis careat, necnon moleste ferre obsessionis absentiam ob formidinem peccandi.

Peculiare quidem ad rem, et notatu dignum refert factum Janet (2). Mulier quaedam ideis obsidentibus affecta ipsi Janet manifestabat, se moerore angi quam maximo, quia sese accusabat de actibus immoralibus, dum profecto ipsa sciebat, falsum prorsus esse, quod affirmabat. Janet vero rite alloqui putavit, respondendo, quod jam sciebat ipsam esse omni existimatione dignam puellam, et cujuslibet actus inhonesti incapacem. Sed aegrota, auditis his verbis, furore correpta est; et respondit, nolle se irrideri, nec ferre posse illiusmodi contradictiones, etc.; coepitque fiere, et enixe petere, ne sibi spes ultima tolleretur. « Nisi me existimarem esse immoralem, ajebat, in perditionem certissime abirem, quia nullum deinceps conatum adhiberem ad meos mores mutandos ». Et addit Janet, quod absolute nolebat suum contradici delirium. Totum hoc vero ex eo provenit, quod in scrupulosis, secus ac in hystericis, ideae permanentia nullatenus automaticum phaenomenon est, sed aliquid consequens ex assiduitate conatus, quo figitur et retinetur scrupulosi attentio super una eademque idea; est nimirum quaedam *mania fixionis idearum (mania della fissità dell'idee).*

Sed hujusmodi factum occasionem praebet explicandi quamdam contradictionem apparentem, quae exhibetur a scrupulosis. Ex iis enim, quae jam exposita sunt, sponte oritur quaestio: Quaenam est ratio, cur scrupu-

(1) *Op. cit.*, pag. 26.
(2) *Idem.*, pag. 36.

losi ideas obsidentes, quas perniciosas agnoscunt, simul fovent et repellunt? Et quomodo obsidens idea potest simul esse voluntaria et invincibilis?

Auctores jam citatos, Pitres et Régis, Janet, Sollier, atque Emyeu, sequentes, possumus hanc explicationem proponere.

Videtur, scribit Emyeu (1), tota difficultas exurgere ex ipsa complexa ratione ideae obsidentis. Haec enim, ut jam vidimus, nullatenus simplex repraesentatio mentalis est, nec simplex judicium, sed syllogismus plus minusve explicitus. Dubium vero absurdum, quod in minori importatur, involuntarium est: et incassum nititur scrupulosus contradicere; morale vero judicium, quod tenet locum majoris, est revera volitum. Ita, ex. gr.,: « Omnes debent accurate confiteri *omnia* peccata propria », est morale judicium rectum et realiter volitum. Sed dubium: « Atqui *forsitan non omnia* ego peccata mea confessus sum », absurdum est et involuntarium. Jamvero ipsum ardens voluntatis studium in actuando judicio morali causa est, quae producit invincibilem necessitatem examinandi dubium et propulsandi illud *forsitan;* dum potius negligi et contemni simpliciter deberet, sicut bonus sensus suggerit. Sed dicit aegrotus: « At si errarem, nonne memetipsum in periculum adducerem gravissimum per meos ipsissimos actus? » « Nisi sedulo inquirerem, utrum omnia mea peccata confessus sim, caderem in laxismum, seu conscientiam relaxarem ». « Si auderem — quidam ajebat aegrotus non communi praeditus intelligentia, ut idem auctor refert, — profecto pertingerem ad vinculum dissolvendum, quod ego pono inter rationem officii adimplendi et illud *forsitan* absurdum, et pro tanto libertatem ab omni impedimento obtinerem; sed timeo, ne simul meum officium trangrediar, sive quia hoc ipsum sit,

(1) *Op. cit.*, pag. 27.

quod plus minusve imponit illud vinculum, sive quia, contra agendo, ultra medium me dissolvere possum, et ita in aliud extremum malum impingerem.... Utique, si hoc agere auderem, statim liber essem; sed nolo hanc libertatem emere pretio peccati ».

Et en ratio, inquit idem auctor, ob quam scrupulosi, cum incipiunt sanitatem recuperare, moleste ferunt, se non amplius turbari; quod signum esse illis videtur diminutionis amoris erga Deum, et defectus horroris, quem debet ingerere tentatio. Et en quoque ratio, propter quam miserrimi isti homines admodum anguntur, dum promittunt, se nullos esse admissuros in posterum scrupulos; et magis adhuc cruciantur, dum promissa persolvunt. En denique ratio, ob quam idea obsidens voluntaria simul est et invincibilis; voluntaria, quia consequitur ex libero amoris actu; invincibilis, quia scrupulosus putans suum amorem, qui eminet super omnia, periçlitari, necessitate veluti cogitur ad ipsum tuendum.

d) — De tendentia ad ideas obsidentes revocandas. — Frequentia idearum obsidentium habitudinem habet cum alio charactere earum proprio, cum facilitate nempe reproductionis. Id intueri licebit, si consideretur, scribit Emyeu, (1) quod illud, de quo agitur, maximi interest aegroti; unde ejus attentionem facile debet attrahere; et cum aliunde incapax ille sit absorbentem ideam expellere, idcirco eam altius figit in mente, et continuo recogitat. Ex generali enim psychologiae lege, idea quaelibet, quae non dissolvitur, eo profundius radicatur, quo majoris fit attentionis objectum; quia magis atque magis ob idipsum excellit, aliasque attrahit ideas, quae possunt cum ipsa conjungi, eo ferme pacto, quo habetur crystallizationis processus. Et hoc facilius in praesenti

(1) *Op. cit.*, pag. 26.

verificatur. Nam turbatio et angor conscientiae, necnon defectus necessariae energiae ad conservandam inter diversa elementa cohaesionem idoneam, causa sunt, ob quam non amplius sufficiens opponatur resistentia adversus attractionem exercitam ab idea, cui attentio primum vel potissimum locum assignat. Unde quo magis attentio in ea reponitur, eo magis intime inhaeret; et quo magis inhaeret, eo vel magis opponitur inclinationibus subiecti, cuius attrahit attentionem. Ex quo intelligitur, aegrotum versari in circulo vitioso.

Idea itaque obsidens attentionem excessive occupat tam sub ratione quantitatis, quam durationis. Protrahitur siquidem per dies, menses, et annos, inquit idem auctor, et non modo singulis horis, sed momentis, ac in quibuslibet circumstantiis conscientiam corrodit. Quod si interdum quaedam habetur relaxatio, citius sub una vel altera forma redit, cunctas secum adducens molestias et angores gravissimos.

Sed quaenam est ratio vel mechanismus talem producens facilitatem revocandi ideam obsidentem?

Respondendum videtur, quod hujusmodi facilitas ex eo provenit, quod innumera habentur phaenomena, quae licet non videantur necti cum idea obsidente, hanc tamen reipsa revocant. Plerique enim aegroti suum morbum consistere dicunt in metu vel horrore, quo afficiuntur ob quoddam phaenomenon, aut rem aliquam, quae tamquam pars ideae obsidentis potest considerari sub quocumque respectu: sive objecti, aut instrumenti peccati, sive cujuslibet elementi pertinentis ad actionem bonam vel malam, quam mente recogitat aegrotus. Uno verbo, quaevis adsociatio sufficit ad ideam obsidentem revocandam.

Ex. gr., mulier scrupulosa, quae deficientem putat habere sollicitudinem vel curam propriae familiae, angitur, quia cogitat, suum maritum in eo esse, ut pectoris morbo afficiatur; et obsessio eam aggreditur, quando

sponsus tussit, vel ipsa tangit ejus linteolum. Est obsessio objectorum.

Quidam aegrotus dicebat: « Si pravam in mente habui ideam, dum meas manus lavabam, haec semper redit, quotiescumque lavacrum aspicio ». Est associatio locorum.

Est igitur ipse aegrotus, qui associationem inquirit et statuit. Quae associatio est equidem ab aegroto volita. Est quaedam *mania associationis* consequens ex fixae ideae permanentia, vel potius ex mania relativa ad hanc permanentiam.

Quam vero tristis sit hujusmodi status, optime norunt confessarii, ad quos aegroti accedunt confitentes, quod dum preces effundere volunt, vel diabolo maledicere, blasphemias e contra proferunt, vel Deum maledicunt. Refert Emyeu (1) quod quidam, tali cruciatus tormento, ita scribebat: « Ne una quidem menti obversatur cogitatio, nec unum verbum, quod per analogiam aut processum associationis vel substitutionis novum haud excitet scrupulum... ». « Nullatenus meum nomen ab aliis prolatum possum audire, quin totus conturber; idque etiam, si auribus percipiam quasdam voces, uti sunt, ex. gr., humilitas.... (et alia multa hic ponuntur vocabula); nec rubrum possum colorem aspicere, aut minimum contactum sentire, nec ibi orare, ubi adest statua, licet sit decentissima, quin diversae ex his omnibus ideae sexuales mihi revocentur in mentem. Et omnia haec multo magis, quam refero, implexa sunt: aliae quippe extant rationes praeter apparentes (associationes idearum) quae hujusmodi objecta inter se conjungunt et copulant.... Ex his fere centum varietates collegi, quae intimum habent inter se ligamen ».

Extant praeterea aegroti, qui domus suppellectiles horrent, quia in hac vel illa sella sedebant, quando

(1) *Op. cit.*, pag. 25.

eorum menti obversabatur una vel altera idea. Unde intelligitur, quomodo nonnulli melius se habeant, simul ac locum mutant, in quo vitam degunt. Sed haec tamen melior, quam consequuntur, salutis conditio, temporanea est; in novis enim locis novae etiam ocius occurrunt associationes, ex quibus iterum enascuntur aliae ideae obsidentes, quae versantur circa eandem rem, vel personam. Sed si scrupulosus propriam domum redeat, statim in eumdem reincidit morbum. « Cum meam domum ingredior, quidam dicebat, omnes meas ideas reperio; quae in omni supellectile latent ».

Evidens igitur est, quam maximi facienda sit hujusmodi associatio idearum; haec quippe causa est, ob quam extenditur, tamquam olei macula, morbus.

Quod vero spectat harum associationum naturam, specialis quaedam ratio consideranda est. Nam in communibus ideis fixis, ex. gr. hystericorum, associatio automatice exoritur, seu modo quodam materiali, ut jam supra vidimus, exemplo allato afferentes de eo, qui patitur hallucinationem incendii; crisis enim in ipso excitatur ex visione alicujus flammae, vel auditione determinati sonitus; ex quibus, tamquam elementis conjunctis cum idea incendii, idea fixa renascitur. In scrupuloso e contra quodlibet objectum actionem revocationis exercet. Unde, merito animadvertit Janet, associatio nonnisi quidam praetextus apparet, quem adstruit aegrotus ad sese excusandum. (1) Nam res ita in praesenti se habet, ut videatur ex ipsa aegroti voluntate renasci cogitatio obsessionis; et idcirco, ad quamlibet culpam a se removendam, ipse ingeniose exquirit remotas quoque habitudines, quae intercedere possunt inter suam perpetuam obsessionem et objecta exteriora.

Quare associationes a scrupuloso invectae inter objecta, vel actus innocentes, et ipsas ideas perversas,

(1) *Op. cit.*, pag. 80.

inter ideas et intentiones, talem constituunt associationum cumulum, ut ex his solvi nullatenus valeat, omniaque aspiciat tamquam vel impossibilia aut prohibita.

Quaenam vero sit hujus status ratio, facile intelligitur; sed de hac re inferius agendum erit.

Juvat interim notare, quod, dum associationes hystericorum automaticae sunt et provenientes ex connexione cum aliis ideis anterioribus, in scrupuloso e contra vera habetur mania associationum, quae assidue quaeruntur, et ex fixa sequuntur ideae permanentia, vel, melius, ex mania huic permanentiae respondente.

Concludentes igitur quaestionem de enormi permanentia et facilitate revocationis idearum obsidentium dicimus, quod hujusmodi enormitas seu exaggeratio nullam imponit subjecto vere proprieque dictam necessitatem, sed cum ea aliquid voluntarii simul habetur, et exinde enascitur illa species maniae, quae *tics* vulgo nuncupatur.

e) — De duplici scrupulosi personalitate, seu de contradictione, quae invenitur in ratione qua se gerit scrupulosus (Lo sdoppiamento dell'io).

Aliud contradictionis phaenomenon, praecedenti, de quo jam loquuti sumus, correlativum, exhibetur a scrupulosis, et potest appellari duplicatio personalitatis.

Hi enim aegroti cum vivere debeant in societate eique seipsos accommodare, propria munera adimplendo, oportet, ut suis obsessionibus renuntient, et agant sicut ceteri homines: ex quo sequitur, quod ipsi, sicut ab omnibus observatum est, coguntur veluti duplicem degere vitam: alteram externam, quae hominum et rerum exigentiis et circumstantiis respondet, sensu communi ducitur, et ab aliorum vita nullatenus differt; alteram vero internam, in quam ideae obsidentes secreto et studiose excultae dominantur; et haec vita formidine et dubiis est referta propemodum infinitis.

Habetur igitur resolutio, ut ita dicam, unius in duplicem personam, quam ipsi quoque agnoscunt aegroti.

Animadvertendum vero est, quod hujusmodi phaenomenon in scrupulosis non induit eamdem formam distinctam et praecisam, ac in quibusdam aliis aegrotis. Et idcirco docuit Emyeu (1) quod istud phaenomenon non consistit in ratione verae et integrae separationis, sed in ratione cujusdam *dissociationis* plus minusve discriminantis personalitatem publicam a secreta, non eousque tamen pertingentis, ut constituantur duae personae, quarum una sit omnino alteri extranea. Habetur enim, scribit ipse Emyeu, (2) idea insana, quae se quidem intrudit in secretam personalitatem, sed hanc ab alia reapse non dividit, licet ei inhaereat tamquam parasitus. Et sane, quod hujusmodi dissociatio non producat veram et completam separationem, ex eo constat, quod scrupulosus, recuperata tranquillitate, memoriam criseos conservat, et eo vel magis, quod, crisi perdurante, cognoscit, illa duo quasi subjecta sibi invicem opposita non esse nisi unam personam. Sed praeterea, inquit auctor idem praefatus, hoc etiam apparet ex propria ratione ipsius ideae obsidentis, quae, tamquam verus parasitus, vitam suam vivit in ipsa aegroti vita, veluti individuum quoddam contractum, non separatum ab alio, in quo sistit. Sed tale individuum, licet sit parasitus, inclinationes et aspirationes habet e diametro oppositas subjecto normali. Illud enim, quod hoc subjectum normale tamquam idealem suae vitae perfectionem, obtinere nititur, quibuslibet etiam se subjicendo aerumnis et sacrificiis, alterum nullatenus admittit et enixe adversatur. Ita, ex. gr., fides, quae credenti scrupuloso est objectum maxime expetibile, impugnatur ab illo parasito, qui contra eam continuo suggerit cujuslibet ge-

(1) *Op. cit.*, pag. 22 segg.
(2) *Op. cit.*, pag.

neris objectiones. Item puellae, quae diligit puritatem, opponuntur ideae obsidentes, quam maxime turpes et obscoenae.

f) — De tendentia ad agendum, et de executionis absentia. — Praeter characteres jam expositos, alius adhuc habetur, qui eo magis clare et distincte cognoscendus est, quo magis juvat in praxi.

Sciendum itaque est quod obsessiones fere semper impulsionibus adsociantur. Hujusmodi character animum aegroti valde praeoccupat, quia graviter timet, ne inducatur ad aliquod crimen patrandum.

Hujusmodi autem inclinatio manifestior est in criminalibus obsessionibus. « Omnes ideae meae, dicebat quidam aegrotus, tendunt ad transeundum in actum; unde saepe saepius in eo sum, ut canem ejiciam de fenestra, ut comburam monetam papyraceam, ut puerum percutiam ». Eadem vero propensio in ceteris quoque obsessionibus invenitur, sed minus intensa, et adsociata, — quod vere mirum est — cum formidine complendi illum determinatum actum; idest, simul habetur impulsio et phobia. Hoc autem bene revelatum est a Pitres et Régis. « Cujuslibet actus phobia, scribunt Pitres et Régis, (1) intimam habet relationem cum impulsione ad actum ipsum; coexistit nempe phobia simul cum impulsiva propensione ». In obsessionibus etiam sacrilegis adest hujusmodi impulsus, quo, ex. gr. urgetur aegrotus ad sacram hostiam mordendam, vel conspuendam, etc. ad quod tamen faciendum ipse naturaliter experitur quam maximam repugnantiam.

Multum autem scire refert, quousque se extendat talis inclinatio. Plures auctores, quos inter praecipuus Westphal, (2) qui omnium primus ideas obsidentes de-

(1) *Rapport sur les obsessions au Congrès de Moscou,* pag. 47.
(2) Vide : JANET, *op. cit.,* pag. 81 et seqq.

scripsit, easque irresistibiles impulsiones nuncupavit, hujusmodi phaenomenis invincibilitatem assignant tamquam notam essentialem, ita ut ea vocent *anancasmata* (ἀνάγκη). Sed animadvertendum vero est, quod, licet haec invincibilitas habeatur in suggestione hypnotica, et in somnambulismo hysterico, ob quae aegrotus, qualibet voluntate destitutus, districte cogitur ad actum eliciendum quem somniat, aliter tamen res omnino se habet quoad scrupulosos. Hi enim, inquit Janet, sibi arrogant quidem impulsus invincibiles, ostendunt timorem, ne homicidium, ex. gr., patrentur, lacrimis implorant auxilium, quo possint defendi a seipsis tamquam ab hostibus, omnia adhibent media etiam ridicula ad resistendum — sicut, ex. gr., aegrotus ille, qui taenia suum pollicem ligabat, ut obsistere posset impulsui homicidii —; sed hae impulsiones non adeo violentae, formidandae censeri possunt, quandoquidem tam levia sufficiunt media ad eas cohibendas. Ceterum tales aegroti nullum, ut plurimum, executioni mandant actum, de quo tantopere timent. Et revera Janet scribit, quod ex tercentis hujusmodi aegrotis ne unum quidem vel levissimum potuit ipse deprehendere casum executionis actus impulsivi. Sed negari tamen nequit, quod aliquando, licet rarissime, quaedam facta verificentur, quae actus invincibilitatem ostendunt. Quando enim de aegrotis agitur, ex. gr. alcoholicis vel morphinomanis, quorum mens gravem perturbationem ex quibusdam toxicis subiit, ideae obsidentes possunt quidem usque ad actûs consummationem pertingere. Idem de aliis quoque licet affirmare, qui ex errore vel deceptione actum intuentur tamquam nullam vel parvam praeseferentem gravitatem, aut minima damna. Hi enim putantes nihil aliud facere nisi gestum quemdam, vel actum initialem, nullimode ejus gravitatem suspicantes, majora et perniciosiora complent, ac ipsi opinantur. Recolit Janet casus juvenum foeminarum, quae ob ideam obsidentem edere recusant, absurdis cruciatibus se su-

bjiciunt, etc. Et sunt etiam aliqui, qui ad verum et proprium delirium perveniunt. Sed tales ideae obsidentis evolutiones et transformationes examinabuntur, quum de obsidentium idearum progressu et degeneratione sermo erit.

Nunc vero animadvertere oportet, quod scrupulosorum obsessiones impulsivam quamdam praeseferunt tendentiam ac dispositionem ad transeundum in actum. Sed hujusmodi dispositio, nedum invincibilis, ut falso asseritur, numquam completa habetur; aegrotus quippe de sua impulsione potius formidat, quam ipsi obtemperet. Singulari equidem ratione necessitatur ad eam terribilem et irresistibilem cogitandam; et pro tanto veluti vana gloria percellitur ob secretum, quo afficitur, desiderium putandi seipsum ab idea obsidente impelli ad crimen aliquod patrandum. Sed, fortuito tantum, reales fiunt hujusmodi actiones imaginariae; seu, heic quoque verificatur, quod in ideis fixis; videlicet, non vere proprieque dicta habetur impulsio, sed potius quaedam mania, qua quis falso existimat, se veris laborare impulsionibus.

g) — De tendentia ad repraesentationem, ac de hallucinatione symbolica. — Docet cum aliis Janet, quod post evolutionem elementorum, quae movent et inclinant ad agendum, proxime ponenda est evolutio elementorum, quibus habentur imaginariae repraesentationes, et tendentiae ad hallucinationem. At possuntne veris affici hallucinationibus scrupulosi?

Quaestio haec valde est controversa; quidam enim psychiatri affirmant, et alii penitus negant. Sed diutius in hac quaestione immorari non possumus; ideoque contenti erimus opinionem dumtaxat innuere, quae probabilior nobis videtur.

Hujusmodi igitur aegroti affirmant, se quandoque in ventre experiri vermes mordentes, et in stomacho

quaedam fluida natantia : res insuper innumeras videre praetendunt, et manifestant se pati hallucinationes obscoenas et criminosas, necnon in eo esse, ut in praecipitia abeant, etc.

Singulare equidem factum refert Emyeu.

Quidam juvenis scrupulosus hostias vel hostiae fragmenta videbat in quolibet objecto albi coloris, in propriis vestibus, in iis qui communionem acceperant, in viis, quas perambulabat, maxime si erant proximae ecclesiis; uno verbo, ubicumque. Quapropter seipsum continuo interrogabat, utrum hoc vel illud tangere, an per unum vel alium locum transire liceret, etc., semper timore perculsus, ne tangeret hostias consecratas. Imposita autem illi obedientia omnia posthabendi, nisi ea evidenter perspiceret, affirmabat, se evidentiam habere de hostiarum existentia, eas aspicere, et distincte percipere sicut quodlibet aliud objectum, cujus existentiam negare non poterat. Tunc Emyeu respondit (existimans hoc pacto illum in tranquillitatem adducere) quod de hostiis numquam sollicitus esse, nec angi ipse deberet, nisi saltem unius metri magnitudini essent aequales. Sed ille rediit terrore affectus dicens: « Vidi equidem hostias, quae praecisam unius metri mensuram profecto non habebant, quia madefactae erant, sed forsitan habuissent, si aqua non fuissent aspersae ». Subjunxit autem Emyeu: « Neque de his curam ullam habeas; considera illas dumtaxat, quae telluris longitudinem et altitudinem habent ». « Hoc sibi vult, numquam eas me esse inventurum ». « Ita profecto est », respondit Emyeu. Metaphysico tunc quodam argumento aegrotus sibimetipsi demonstravit, verum loquutum esse Emyeu, ipsique parendum. Sed paucos post dies rediit affirmans hostias vidisse dimensione affectas, quas indicavit Emyeu; qui tandem, ad aegrotum cogendum, ut eas quoque despiceret, minitatus est, se illi deinceps absolutionem negaturum. Quod vero bonum obtinuit effectum.

Sed aliud afferamus exemplum. Mulier quaedam confitebatur, hostiam post communionem expuisse; at facile statim compertum est, mulierem ea die nequaquàm ad Eucharistiam accessisse.

Ceterum alia referre facta superfluum videtur, cum omnes sciant confessarii, hujusmodi aegrotos frequenter affirmare, se hallucinationibus esse subjectos potissimum auditivis vel visivis, quae propriam perditionem aeternam respiciunt.

Sufficit autem in quibuslibet casibus aliquatenus insistere, haud exterius aliquod in contrarium dubium ostendendo, ut tandem perveniat aegrotus ad recognoscendam propriam exaggerationem et excessum; nequit enim suam hallucinationem describere; sed indeterminatis vagisque verbis utens nihil exponit concrete et exacte; unde cogitur tandem ad confitendum, se potius allici ad aliquid videndum, quam realiter videre.

Ceterum vero animadverti potest, quod hujusmodi hallucinationes prorsus singulares sunt. Non enim habentur objecta, quae in seipsis videantur, sed imagines tantummodo, quae relate ad patientis ideam aliquam praeseferunt significationem; sunt enim symbola quaedam, quae admodum angentes obsessiones ostendunt. Denique, quod maxime notandum est (docet Emyeu), tales hallucinationes numquam complete evolvuntur. Et revera, dum hystericus suam hallucinationem particulatim describere potest, scrupulosus e contra in sua enarranda adjungit, quod melius adhuc videre necesse est; nec umquam certitudine gaudet circa ea, quae loquitur, sed dubiis vexatur continuis.

Affirmare itaque licet, quod in praesenti agitur de *pseudo-hallucinationibus* (Kandensky), vel *hallucinationibus symbolicis* (Janet). Heic nimirum manifestatur tendentia ad hallucinatoriam repraesentationem, quae numquam completum terminum habet. Subjectum quippe, prout potest, repraesentationem urget, et exteriorem

realemque imaginem inspicere nititur; est profecto *quaedam mania hallucinatoria, potius quam vera et realis hallucinatio;* seu, existimat quidem scrupulosus sese hallucinatum, dum profecto vera hallucinatione non afficitur.

h) — De angoribus ab idea obsidente causatis. — Consideranda ultimo venit ratio doloris et cruciatus, quae in omni idea obsidente reperitur.

Omnes equidem admittunt, dementiam conscientem, qua hujusmodi aegroti afficiuntur, exquisitum constituere tormentum. Et sane, quum tales perturbationes apparent, statim inquietudo, moeror, et aegritudo consequuntur, quae, primo indeterminate apprehensa, ad moralem deinde anxietatem et physicum pertingunt cruciatum. « Hoc autem accidit, scribit Emyeu (1), quia idea, quam parasitam jam appellavimus, in ipsam conscientiam ac personalitatem illabitur; unde aegrotus veluti urgetur ad volendam simul et nolendam obsessionem, ad ipsam, ut libertatem acquirat, propulsandam, et simul advocandam, ut sese tutum servet a vita immorali. Hic vero status diutius perdurat occurrentibus interim et recedentibus novis successivisque crisibus, absque ulla spe certamen superandi, vel pacem obtinendi etiam per deditionem, quia haec nil aliud videtur, nisi quaedam rejectio objecti, quod maxime diligitur ».

Duae insuper extant speciales rationes, quibus dolor augetur. In primis enim scrupulosus est, ut plurimum, ingenio pollens; ac doctrina et bonis moribus praeditus ad perfectionem tendere nititur. Comparationem igitur instituit inter proprium statum et statum normalem eorum, cum quibus conversatur; inter suum, ut est, et statum, qui esse deberet; unde in periodis tran-

(1) *Op. cit.*, pag. 72.

quillatis persentit miserrimam, in qua versatur, conditionem, et angitur ob impotentiam, qua laborat, opera perficiendi foecunda, depressione extante, et veluti fato quodam impediente actuationem cujuscumque propositi recti.

Nil igitur mirum — ut ipsa verba adhibeam cujusdam scrupulosi — si scrupulosus nube videatur eousque obductus tristitiae, et voces doloris interdum emittat.

Textes enim sunt medici et confessarii de lacrimis et de statu miserando, quem inducit in scrupulosis ea, qua laborant, impotentia. Non igitur falsa loquuntur, cum sibi adscribunt *longum martyrium*, et affirmant, *se perire psychico infectos veneno*, (ut de quodam aegroto narrat Emyeu), necnon quemlibet physicum morbum comparatum cum eorum cruciatibus nihili prorsus esse habendum.

Et ad melius describendam tristissimam eorum conditionem idem auctor narrat, quod quidam scrupulosus post sinceram proprii status confessionem exactam, petasum apprehendens exclamavit: « Petase mi, quam felix es, quia nullo dubio laboras! nec ullatenus cognoscis quanto affligitur tormento caput, quod tegis » ! Et alius: « Tale ac tantum est malum, quo afficior, ut, si scirem minimam quoque adesse probabilitatem expellendi hunc morbum, tantum foret animi gaudium, ut statim succumberem »!

Descriptione itaque absoluta de characteribus idearum obsidentium, animadvertimus adhuc, quod non semper in quibuslibet casibus hi omnes verificantur, sed in formis dumtaxat completis et perfectis; quin immo praeter modos expositos alii quoque interdum inveniuntur, quos praetereundos existimavimus, quia ad formam spectant morbosam, quae vel est degenerata, vel cum aliis formis conjuncta. Essentiales enim hic dumtaxat descri-

bere in animo fuit characteres, qui ad diagnosim efformandam inserviunt vel juvant.

Recapitulando igitur, quae jam dicta sunt, possumus conclusionem ita enuntiare: Idea obsidens est idea insana, ita a subjecto ipso cognita, ut dici debeat et sit dementia consciens vel lucida, invincibilis tamen, et adeo cuidam maniae conjuncta, tum ideas fixas respicienti, tum impulsiones atque hallucinationes, ut potens sit conscientiam et personalitatem veluti dividere, et maxima gignere tormenta et angores.

Caput secundum.

De evolutione idearum obsidentium.

Conatus aegroti ad certitudinem acquirendam. — Media adhibita: Ratiocinatio. Impotentia relate ad praeteritum, praesens et futurum. — Pacta, vota: Medium tutius. — Confessio. — Consequentia horum conatuum. — Praesagia. — Mania compensationis et expiationis. — Phaenomena derivativa.

Nunc cognitionem perquiramus rei magni momenti, quam omnes qui studio scrupulorum vacant, uti jam memoravi, notarunt.

Nimirum aegrotus ideas dubii, quibus vexatur, abnormes esse persentit, satisque studii ad eas repellandas confert; sed hujusmodi contentio potius quam utilitati, eius statui graviori est infirmitati. Convenit igitur hoc factum necnon ejusdem effectus summis lineis perscrutari.

Et reapse aegroti nostri, sicuti vidimus, volutantur in ideis, quibus torquentur. Dubium adest, num sacrilegium commiserint, num peccatum patraverint. Cum ipsis ex animo exui non possit, absurdam esse ideam obsidentem, ut eam repellant, nituntur. Mediaque, quae obtinent, varia sunt.

In primis *ratiocinatio*. Sibi persuasum habere student, absurdam esse ideam, qua anguntur. Nonnulla adducamus exempla.

Quaedam Soror, obsessione laborat se non clare sua peccata esse confessam. Haec idea obsidens cum aliis permiscetur ideis, quas inferius investigabimus: ex. g. cum mania sacrilegii idest frequentissime ea Soror se sacrilegium patrasse persuasum habet; vel cum suipsius contemptus mania, necnon cum plerisque aliis characteribus secundariis scrupulosi. Ipsa, ratiocinatione conatur, vincere dubium, quo afficitur circa quemlibet vitae praeteritae actum. Ipsa, continuo incumbit in omnes actus peractae vitae quam diligentissime perpendendos. Ipsa, omnia sua peccata in memoriam redigere conatur, quia bonam vult confessionem generalem peragere, ita ut se molestissimis dubiis relaxare possit. Sicque consumit horas in examinanda conscientia circa omnes minimos actus. At hujuscemodi contentio, quae eam perpetuo deberet e suis dubiis eripere, venit e contra ad dubia augenda; siquidem, minimo de actione quam innocentissima exorto dubio, minima cujuslibet actus adveniente oblivione, illico aegrota ad innumeras se confert investigationes, quibus fracta et debilitata defungitur.

Atque ratiocinatio est medium, quod statim omnes scrupolosi requirunt, ut suo molestissimo statu relaxentur.

Quidam sacerdos ut sibi persuadeatur, vere consecrationis verba protulisse, nervos omnes contendit. Et in ratiocinatione eo procedit scrupulosus, ut ultima ac absurdissima experiatur et audeat.

Typicum quemdam casum refert Emyeu (1). Quidam sacris aedibus praepositus, jubetur stolam sericam in sede confessionali ponere. « Sed eratne vere serica? « inquit » quomodo certior fieri possum? Eritne gossipii contexta filis? Eritne tunc valida data absolutio? » Ratiocinaque aggerit ut sibi, stolam non esse sacramenti

(1) *Op. cit.*, pag. 38, 39.

partem, persuadeatur. Sed incassum. Tanto magis eum certitudo deserit, quanto sibi persuaderi conatur.

Typicus quoque est casus, quem egomet inspexi in quadam juveni muliere. Quodam die, certis de causis, in suspicionem, se esse matrem cadit. Quapropter quam plurimis utitur cautionibus, suaeque servit valetudini. Facta physiologica, quae conceptionem fuissent ostensura, brevi evanescunt. At ipsa dubium relinquere nescit, longissimaque provehitur cogitationum serie, ut sibi ipsi, absurdum suum dubium esse persuadeatur. Sed quo magis in ratiocinatione progreditur, eamque absurdiorem esse perspicit, eo inhabilior evadit ad eam repellendam.

Idque, quia scrupulosi ratiocinatio, quodammodo, similis est reti, in quam incauta avis incidit. Quo majores, ut relaxetur, conatus experitur, eo magis, corpus eius maculae comprimunt. Quod praesertim ab aegrotis comprobatur, qui ideis obsidentibus de re sexuali afficiuntur.

Ejusmodi plerumque ii sunt, qui vitam purissimam ducunt, longe quoque abhorrentem ab omnibus quae sexuales possent excitare imagines. Cum in ipsis, idea obsidens de re sexuali oritur, omni detestatione, eam repellunt, idque tanto magis, quia hujusmodi sexuales ideae, ut plurimum, cum rebus purissimis, religiosis, sacris, mira obscoenitatis admixtione, copulantur. Perterriti, eas rejiciunt. Deinde vero, cogitatione vexati se esse peccato devinctos, ut videant, an quadantenus consenserint, eas ad memoriam revocant; sed eas revocando, eas acriores reddunt, et ita porro; eas repellunt, metu consensum praebendi, easque repetunt, ut conscientiae examen instituant. Sic vero multo magis imago, memoriam penetrat, in eâque firmiori stabilitati insidit, atque sensim talis efficitur status, quo turpium sacrarumque rerum associatio, illis aegrotis obversatur in animo, ita ut quemlibet sufficiat religionis actum peragere, ad hanc associationem revocandam.

Quod de factis praeteritis asseritur, animadvertit Emyeu (1), praesentibus quoque confirmatur.

Quilibet confessarius casus referre valet. Sunt aegroti, qui suum inspiciunt confessarium, ut advertant an ipse valide dederit absolutionem, clare verba sacramentalia protulerit, signum crucis fecerit, certioresque se reddant. Hisce, aegrotis recitatio precum, et sacerdotibus, officii recitatio molesta evadit. « Verene hoc integrum psalmum recitavi? Sed hoc fieri nequit! Tempus praeteritum nimis breve! Sin autem psalmum persolvi, me antecedentia versicula recitasse patet. Sed hoc fieri non potest quia praecedentium versiculorum significationis obliviscor! Id minime requiritur! Me docet theologia attentionem externam sufficere. Interim vero, an officium recitaverim meisque satisfecerim obbligationibus, haud scio. Relinquamus quod licet, certiusque quod est sequamur; illud repetere juvat ». Via autem lubrica est. Aegrotus enim, hanc ingressus viam, reverti nescit, horaeque cedunt quin dubium an psalmus recitaverit, removere possit. Usque dum moerens, clamores edit.

Cujusdam reminiscor sacerdotis, qui me frequentabat et, manibus ad caput rejectis, me alloquebatur. « Unam horam recito matutini invitatorium, quin ultra procedere valeam. Ridiculum, quam maxime ridiculum est, sed mihi persuaderi nescio, illud minime recitasse. Attentionem, omne studium consumpsi in me, verba dicente, custodiendo, et ecce stupefactus adsum, quin aliquid egerim ». Hujusmodi aegroti, *certitudinem in posterum* acquirere, satagunt. Ad hoc demonstrandum casum narrabo, qui apud Raymond (2) legitur.

Agitur de quadam muliere plebeia, parum instituta. Quodam die, sub vesperum, cogitat carnem emere ad jusculum parandum. Dein autem in scalis cunctatur,

---

(1) *Op. cit.*, pag. 49.

(2) *Obsessions et psychasténie,* vol. II, pag. 148.

menteque volvit. « Licetne carnem emere? Generatim licet, sed hodie, feria quinta est. Si lanius cogitat, me esse carne usuram ad jusculum, hodie vesperi, parandum, nihil mali; at ipse arbitrari potest, crastina die, quae est feria sexta, me jusculum carnis, esse paraturam, et sic malo ei possum esse exemplo. Id significat, me nihil per se mali peragere, sed hoc exitiale ob suam significationem esse posse. Id significat me, ludum Deum facere. Totum igitur in eo est ut ego sciam, utrum lanius cogitaturus sit me carne esse usuram hodie vesperi, an in crastinum. Et quomodo poterit cogitare? Is quantum heri carnis emi, necnon quantitatem quae probabiliter in penaria cella superfuerit, considerabit. Sed protuline heri, cum carnem emi, talia verba, ut ipse cogitaverit carnem hodie vesperi, esse superfuturam? Quid heri sum locuta? ». Et ecce molesta inquisitio de verbis prolatis hanc miseram pervadit mulierem « Ad maritum confugiam. Qui vero respondebit: " Procul dubio caro est emenda „. Interim vero meas praeoccupationes de die Veneris irridebit, causamque praebuero, quod ipse blasphemaverit ». Et ita porro pergit, se in inexplicabili dubiorum perturbatione implicans, quibus obruta, decernere quid agat nescit. Tribus post horis maritus revertens, uxorem invenit in extremis scalarum gradibus sedentem, in manibus alimentorum canistrum habentem. Ipsa adhuc quid ageret, mente volvebat.

Sicuti Emyeu (1) animadvertit, hujusmodi casus quibusdam extrema persequi profecto videbitur, et sane quidem. Attamen describit quod quotidie accidit quoad plures scrupulosos, qui dimidium facti continent ut seipsos examinent, ut consectaria perpendant, ut certitudinem acquirant.

Sed evanescit certitudo, novaque tunc aegrotus media quaerit; *pacta, vota, motus, elocutiones proferen-*

(1) *Op. cit.*, pag. 44.

das. Hujusmodi factis, quae scrupulosos praebet, nos inferius, sequenti capite, studebimus; inde autem eorum sensui cognoscendo vacabimus. Interea ea innuere sufficiat, ut prae oculis conatus habeantur, quos ipsi experiuntur, ut certi fieri possint. Sic exempli gratia, quendam Pitres et Régis referunt casum, juxta quem quaedam puella ne verba obscena proferret, copiam acuum in ore tenebat.

Scrupulosus quidam, de quo loquitur Janet, illud assidue efferebat: « Se attentum praebere quisque debet; coenatum eamus, postea et nos veniemus ». Sibi persuadebatur, si semel hanc proferre posset elocutionem, se esse ad sanitatem reversurum.

Sed prouti intelligitur, hujusmodi media, majori sollicitudini aegroto evadunt. Quomodo ipsi, inquisitis mediis usi sunt? Itaque interminatam ingrediuntur viam; ipsi, debent quemlibet actum, quodlibet verbum in mentem revocare, et, quia memoria deficiuntur, quin dubia imminuantur, augescunt sane. Nec quidquam aliud significant nonnulli actus, nonnullaque verba, quae scrupulosi peragunt, aut in sede poenitentiali proferunt.

Quidam aegrotus, brevem ad Deum decernit elevare supplicationem. Is censet, si hanc protulerit, se certitudinem adepturum. Semel eam profert; sed postea dubio angitur, an aliquam omiserit syllabam, inde an se attentum praebuerit ad verborum significationem. Sed certitudo deficit, quinimmo fugit, donec, vi crebra fractus, desperatis conficitur lacrimis.

Quaedam capitis concussiones, quaedam verba rapide prolata, quidam gestus veluti si quis esset expellendus, consimilem praeseferunt significationem. Hisce inferius vacabimus; nunc ea innuere satis est; tales equidem praebent characteres, ut ea videre sufficiat ad scrupulosum illico dignoscendum.

Impossibile est has omnes dicere formulas. Horum est, quandam praebere formam arctatam: « Non, non »;

« tace, abi »; « nolo, apage! », etc., aut breves motus, vix significatos, interdum verba incomprehensibilia, et quidem absque significatione, quae integram elocutionem referunt. Quandoque obsecrationes, characterem adipiscuntur arithmeticum (*mania praecisionis*), sunt aliquoties repetendae. Sed, ut intelligitur, haec quae sibi aegrotus fingit remedia, nullum obtinent exitum. E contra, fastidium aegrotis gignunt, qui ad seipsos examinandos etiam atque etiam coguntur.

Medium, quo frequenter hujusmodi aegroti utuntur ad certitudinem adipiscendam, est *votum*.

Hoc in casu, se aliquid molesti passuros promittunt; semel si gerunt, semel si certam omittunt actionem, ad quam, eorum trahitur attentio. Suaque vota multiplicant, tantisque rerum implicantur captionibus, quibus exsolvi nequeunt, propereque ad vota perveniunt, quibus nulla absurdiora magisque ridicula mens nostra potest effingere. Ex. gr.: « Nisi viginti et quinque crucis signa peragam sine intermissione, male sit meae familiae ». « Ut certus sim, me bene esse hac vice confessurum, mihi haec crux, haec imago aliquoties tangendae ». « Nisi consilium ingrediendi religionem capiam, primo homini, quem egrediens e sede poenitentiali nacta ero, nubere decerno ». « Juro me matutinas preces decies, vicies, millies esse renovaturam, dummodo nil mali iis, quos diligo, contingat ». Quae postrema exempla, aliam jam formam ostendunt: *jusjurandum*. Quaedam Soror, ideis obsidentibus de re sexuali laborans, ait: « Nullum esse tacturam hominem in itinere, ne inconsulto quidem, juro ».

Notatu quoque digna sunt *praesagia*.

Debent aegroti consilium suscipere, sed cum illud suscipere nequeant, in inania incidunt suppletoria consilia. « Si ferra clathratae fenestrae, paria numero erunt,

hoc conficiam.... ». « Si a sinistra ad dexteram pervolabit prima hirundo, hoc conficiam.... ». Re quidem vera praesagii exitui acquiescere sedulo cavent. Numquam confecturi erunt, quod conficere nolunt. Quod etiam in casibus verae maniae superstitionis, contingit.

Typicus est casus, quem Janet et Raymond (1) exhibent. Aliquis, cui inest idea obsidens sacrilegii, capite contra fenestrae vitra applicato, ait: « Nisi vitrum frangitur, sacrilegus non sum; si autem frangitur, tunc ego sacrilegus sum ». At reapse incertus leviter se applicat, consiliumque capere renuit.

Ad hujusmodi formas, quibus aegrotus certitudinem quaerit, aliae accedunt, quibus aegrotus utitur ad effectus funestos actibus auferendos; sicque habetur *mania compensationis, mania expiationis.*

Cum quidam, ex circumstantiis manum mulieris tangere cogitur, confestim manum hominis tangendam esse curat. Ita cum is vespere, solus cum matre est, et ipsa manum ei porrigit, horribili molestia afficitur. Manum respuere non audet; inde autem sollicitam noctem peragit, quia manum hominis tangere non potuit. In hoc homine (qui nonnullis angitur sexualibus obsessionibus, quique ne peccet in innumera incidit inania) eo pervenit mania compensationis, ut, cum in ecclesiam alicui Sanctae dicatam ingreditur, subito in alteram alicui Sacratam Sancto ingredi debeat, ut adsit.... compensatio.

Alias e contra, vera habetur *mania expiationis,* quae efficit, ut scrupolosi severissimas experiantur poenas. Ita frequenter accidit, ut scrupulosi, cibo, somno, oblectamentis, aliisque innumeris se abstineant rebus, ne amplius committant peccata. Mox vero preces, parvae poenitentiae non amplius sufficiunt, et in inanissimas simulque gravissimas res incidunt. Atque expiatio, huju-

(1) *Op. cit.*, vol. II, pag. 296, ss.

smodi miseris specialem offert characterem, qui efficit ut ipsi continuis cum Deo utantur relationibus *tradendi et accipiendi*, ad perpendendum quantum, et quomodo expiaverint, et quantum faciendum supersit. Sed, quamvis media, quibus scrupulosi compensare et expiare studeant, crudelia sint, certitudo non acquiritur, nec angores dubii deficiunt, atque scrupulosus, innumeris probationibus peractis, fractus et debilitatus consistit.

Ad propositum magis accedunt nonnullae, quas inferius discemus, formae; veluti *mania extremi, infiniti, perfectionis, repetitionis*, etc. Nunc eas enumerare satis. Sed silentio praeterire nescio formam, quae ad hanc classem pertinet, quaeque naturam conatuum, quos scrupulosi conficiunt, ad certitudinem acquirendam exprimit.

Permultis saepe conatibus frustra captis, remediisque plurimis quam potest tentatis, scrupulosus, omnia ad irritum redacta inspiciens, medium, ait Emyeu (1), heroicum, extrema experitur, quae in hoc maxime consistunt ut omne, quod minimum carpit dubium, interdicatur, semperque *pars tutior* eligatur. Exempli gratia. An eam precem recitaverit, aegrotus nescit. Tutissimum est eam denuo repetere. Timor, ne aliquod peccatum omittant, efficit ut scrupulosus recenseat et sibi omnia, quae fieri possunt, peccata ascribat. Imo in suis formulis, elocutionibus utitur, quae possunt ad omnes extendi casus. Cumque iidem a confessario absolvuntur, semper aliquid habent, quod omiserunt, et etiam a peccatis sive sponte sive invite oblitis absolutionem poscunt. Et, absolutione quoque recepta, a tribunali poenitentiae se removere haud sciunt, quia ipsis adhuc aliquid dicendum restat. At, rogati an hujusmodi recensita peccata vere commiserint, tunc sensim negant, et quidem prorsus negant se patrasse peccata, quae manifesta-

(1) *Op. cit.*, pag. 84 e segg.

runt, imo aegre ferunt, si ad ea committenda parati aestimentur, ea dumtaxat sunt confessi, ut ea omnia accusasse, pro certo habeant.

Ad hanc *tutiorem partem* eligendam postremo veniunt *maniae praecautionis*. Sunt itaque aegroti, qui minimo quoque suorum actuum consulunt; ipsi continuo suas inspiciunt actiones; ipsi prorsus sibi credere volunt.

Item *tutiorem partem*, sequitur *mania repetitionis*. Scrupulosi semel atque iterum actum repetunt, ut pro certo habeant ipsum rite confici. « Ridiculum est, ii fatentur, sed hoc modo tantum, spero fore ut me ab angoribus dubii abducam ».

Aut, etiam ipsi, ingeniosos *quosdam* excogitant *mechanicos processus* ad res accurate perficiendas. Quidam, systema ad bene scribendum, ad exacte calamum tenendum, ad interpunctiones signandas, excogitaverat, ita tamen, ut ad nihil scribendum veniret. Quidam sacerdos, innumeros excogitaverat processus ut certus de exacta psalmorum officii pronuntiatione esset, sed, ad vesperam, nondum matutinum recitaverat. Quaedam mulier, ut sibi impediret quominus aquam ante comunionem sumeret, usque eo venerat, ut salivam non absorberet ac vel conatus caperet ad respirationes comprimendas.

Typicum casum, circa medii tutioris inquisitionem refert Emyeu (1). Quidam scrupulosus videlicet non modo eo pervenerat ut mali speciem sibi interdiceret, verum etiam quamcumque hujuscemodi cogitationis occasionem.

Quidam, cui nomen Z.... opinatur omnem malam cogitationem, vel prouti talem inspectam, eos obtinere morales effectus, ut sibi in posterum omne prohibeatur, quod coniungitur, sive prope, sive longe, cum eadem circumstantia, aut omnia impediantur quae ejusdem

(1) *Op. cit.*, pag. 56-58.

circumstantiae renovare possunt memoriam. Hoc principium, quod circiter viginti annos vir noster sequutus est, eum ad consequentia quam absurdissima perduxit. Is, nullam suppellectilem aut obiectum aedis urbanae, nullam arborem, nullam rustici horti, plantam aspicere aut tangere poterat. Ei, Lugduni pleraeque viae, pleraque itinera, pleraeque plateae, pleraque officina *(negozî)* interdicebantur. Massiliae totus vicus, et etiam nonnullae viae ferreae, nonnulli currus *(treni);* domus quoque supra subterraneas vias ferreas *(tunnels)* constructae ei vetabantur. Hic fructus, hanc ei in mentem revocat arborem. Igitur is quominus hos capiat fructus, impeditur. Eius pater, aliqua interdicta tetigit obiecta. Conclusio.... inaudita. Ei nihil hodie est emendum (quod probabiliter forma quaedam expiationis est, quam sibi iniungit). Puer, feria quinta in Coena Domini, cum ecclesias, dum ruri erat, causâ visitationis persolvendae adiret, arbitratus est non adesse rationem sufficientem diu laborandi ut Deo placere possimus. Conclusio: Ego pergere non possum ad C.... cum sit ruri, quia filia janitoris thoracem feria quinta in Coena Domini emptum, induit. Ille vir occasionem praebuit, quod sibi in mentem veniret mala cogitatio. Is, non amplius illum debet aspicere, et non modo ipse unus, sed ne ii quidem qui eius utuntur familiaritate, illum aspicere debent. Sic, quodam tempore, male de advocato aliquo cogitavit; is ergo prohibetur, quominus studiolum aliquod advocati adeat. Ei suas amplecti sorores, quamdam induentes vestem, non licet, quia hae vestes sunt a quadam sarcinatrice confectae, quam suggessit cuiusdam mulieris amica, quae ei quavis de causa interdicitur vel quia officinam sive diem, qua culpam commisit in mentem revocant. Et sic eo pervenit, ut nihil aliud agere, nihil aliud dicere possit, eodemque insuper modo eo pervenire vellet, ut omnes, qui eo utuntur, interdiceret, atque id omne impediret, quod quavis de causa, in mentem id revocat, quod ei

cogitandum non est. Prima, quae hanc seriem efficiunt factorum, quindecim annos, orta sunt, sed is, implacabili memoria viget, quae ei in mentem, omnia haec minima revocat. Sin autem memoria eum deficit, tunc aliquid contigisse seseque ad consequentia inferenda teneri, affirmat. Cum urgemus, ut sibi ea despicere persuadeatur, id sibi esse dicit perinde ac si eum juberemus Christi crucifixi effigiem pedibus calcare, nobisque hujusce rei coniecturam esse ex conatibus capiendam, quibus nobis resistit. Ita ejus referunt parentes. Is, absurdam degere vitam, sed hoc sine dubio esse suae culpae tribuendum, se tempori praeterito, cuius onera fert, devinciri, et, cum ita sit exactum tempus, ad hanc vitae consuetudinem compelli, ne se tentationibus opponat, fatetur. Quae omnia ex eo consequuntur, quod is medium tutius est amplexatus, ut ex suis evaderet languoribus.

Neque minus est mirus casus, quem egomet inspexi.

Quidam opinatur, omnia sui status officia unicuique esse recipienda, sed etiam ea, quibus erga seipsum aliquo modo adstringitur. Et sic in sella sedere evitat, secus enim ei essent omnia recipienda officia eius, qui prior sedit. Quodam die in pavimento domus, quam incolit, storea sternitur, quibusdam contexta viminibus, apud fluminis ripam propinquae dioecesis, collectis. Ipse autem sedulo eam calcare evitat; nam si hoc agat, omnibus rebus ei parendum est quibus fideles illius dioecesis tenentur. Nondum illam adiit ecclesiam, quia orare obligaretur ob votum quo confraternitas, quae hanc erexit ecclesiam, obstringitur. Quodam sabbato carnem non comedebat; interrogatus, illam carnem forsitan ferri respondebat de regione, in qua, more antiquissimo, sabbato, caro non comedebatur. Et sic quotidie in quolibet actu aliquam rationem inveniebat, qua ei prohiberetur; ac quotidie novas struebat causas, ne aliquo pergeret, ne novas contraheret obligationes. Idque quia certum scire cupiebat, an novas contraxisset obbligationes, an

nova occasione peccandi careret. Sic medium tutius, quod singulis momentis, sequi satagebat, ei impedimento ad omnia agenda erat.

Cum autem his miserrimis aegre est hujusmodi tolerare vitam, tunc ad medicum vel ad confessarium confugiunt. Atque ad alterutrum se conferunt, ut a suis intellectualibus et moralibus sanentur languoribus, ut certitudinem adipisci possint. Nihilominus, si pluribus in casibus medicus vel confessarius possunt eos ad sanitatem reducere, quibusdam in aliis, quum morbus jam plures annos perseverat, jamque ea gravia ostendit symptomata, quibus inferius sequentibus capitibus studebimus, confessarius quoque medicusve, frustra certitudinem, quam ipsi postulant, iisdem praebere conantur. Quodsi medicus et confessarius se certos de natura morbi non faciant, scrupulosumque in certitudine, quam flagitat, acquirenda falso adiuvent, tunc ipse in viam provehitur extra quam egredi non potest.

Ipsi a confessario, verbum, formulam, qua certi fieri possint, normam agendi efflagitant. Quid ipsis agendum; quid non agendum? Utque confessarius sese edoceat, iisdem totam particulatim vitam, ab ineunte aetate referre opus est. Atque si confessarius normam aliquam praebet, ii quieti sedem poenitentialem relinquere videntur. Incassum vero! prima cogitatione, primo consilio, procul jam certitudo abest. « Et ratio evidens est, aiunt; integram confessionem non peregerunt, cujusdam rei, cujusdam actus, cujusdam cogitationis obliti sunt. Ceterum nec sincere dixerunt, illamque occultarunt rem..... ». Et ad confessarium redeunt, iterumque confessionem instituunt. « Ipsi obliti sunt; mentiti sunt; decipere voluere ». Seu: « Intellexeritne bene confessarius? Estne satis instructus? Perspexitne quam graves sint admissae culpae? Estne vere absolutionem impertitus? Protulitne omnia, sacramentalis formae, verba? »

Seu. « Confessarius ita esse agendum, dixit. Sed hujusce verbi, varii possunt esse sensus. Ad quem ille animum intenderit? An verbis poenitentis cesserit? Consultius igitur est, ad eum redire, omnia scripturae consignare; agere scripto confessionem, scriptamque ad confessarium mittere ut legat, antequam confessionem excipiat: inde eum rogare ut scripto mihi normas mittat ». Quodsi scrupulosus efficere potest, ut incautus confessarius, normam aliquam scripto exprimat, se demum in tuto esse putat, sed in summo errore versatur. Et ecce se immergit in minutissimam *hermeneuticam* scripturae, quae scrupulosum ad maxime miras efformandas hypotheses ducit, donec verbum, expressionem nanciscitur, ob quae, omnis dubiorum angorumque multitudo iterum eum obruunt.

Ex hucusque investigatis, colligitur, scrupulosum angi impotentia dubii repellendi et certudinis acquirendae, quae ut ipse assequi possit omnia audet et experitur; haec vero impotentia adamussim ea respicit quae, uti praecedentibus paragraphis vidimus, magni momenti tum quoad ipsum tum quoad vitam moralem sunt; dubium nempe agitatur, an aliquid contra legem moralem, contra Dei voluntatem commissum sit.

Haec impotentia, scribit Sollier (1), eo magis patet, quo plures scrupulosus persequitur vias ad eam removendam. Ipsa, quicumque sint peracti conatus, quodcumque idearum obsidentium genus, restat. Ipsa ergo, ait Emyeu (2), provenire debet ex eo quod arctius animo scrupulosi affigitur, ex eo quod sanari non potest, minime vero ex modo aliquo cogitandi aut agendi, sed ex modo aliquo *essendi*, quem nulla moderari potest sollertia, et contra quem libertas ipsa infrangitur. Hujus

(1) *Op. cit.*, pag. 27.
(2) *Op. cit.*, pag. 61.

facti rationem in disserenda explicatione de aegrotorum nostrorum statu, videbimus.

Quosnam obtinent effectus hujusmodi conatus? Nunc nobis esset studendum illius status consectariis, in quo idea obsidens aegrotum ponit; nam, si conatibus, quos experitur, minime ipse efficit, ut dubium removeatur, sed ut altius defigatur, ingravescit eius morbi status. Sed ad haec illustranda consectaria opus esset, phobias, angores, omnemque describere phaenomenorum seriem, de quibus auctores disserunt, utrum considerari debeant tamquam consequentiae et reactiones individui contra dubium, an vero tamquam phaenomena, dubium concomitantia, an, juxta alios, vel tamquam phaenomena ipso dubio praestantiora.

Proinde hoc caput, in quo evolutionem idearum obsidentium descripsi, subsequi aliud malo, in quo sermonem de his omnibus ceteris phaenomenis instituam, tunc descripturus, cum theorias ad hujusmodi explicanda facta inventas perpendam, quemnam locum hujuscemodi phaenomena nanciscantur in serie phaenomenorum, quae aegroti nostri exhibent.

Caput tertium.

De agitationibus coactis.

1. *Introductio.* — Quid agitatio. Characteres agitationum in genere. Nomen. Classificatio.
2. *De agitationibus mentalibus.* — *a*) Maniae mentales systematicae: mania fluctuactionis, mania ultra gradiendi (*dell'al di là*), mania reparationis. — *b*) Maniae mentales diffusae: ruminatio mentalis.
3. *De agitationibus motricibus.* — Earundem characteres generales et varietates. — *a*) Tá *tics,* Eorum natura, varietas et characteres. Eorundem inefficacia. — *b*) Crises agitationis diffusae motricis. Earum characteres.
4. *De agitationibus emotionalibus.* — Earundem characteres et utilitas. Classificatio. — *a*) Phobiae. Magnus earum numerus et varietas. Algiae, topoalgiae. Phobiae functionum, obiectorum. — *b*) Angores. Eorum characteres et varietas. Physiologici effectus.
5. *De communibus characteribus agitationum coactarum.* — *a*) Earum unitas clinica et necessitas eas colligendi. — *b*) Agitationes coactae cum ideis obsidentibus comparatae. Agitationum crises; earumque causae et genetica connexio.

§ 1. — Introductio.

Ex hucusque expositis circa ideas obsidentes collectum est eas seorsus tantum non constituere morbum, cuius studio vacamus. Quin imo vidimus ideam obsidentem sese ulterius evolventem, alia gignere phaeno-

mena, quae sunt, ut ita dicam, medium, quo individuus contra dubii crises reagit. Alia nempe extant a scrupolosis exhibita phaenomena pathologica, quae obsessionem comitantur quaeque speciali studio digna evadunt. Sunt ideae, actus, sensus, quae ideam obsidentem comitantur, sed ad ipsam non amplius adhaerent, quaeque cum maxima frequentia et varietate obiiciuntur. His commune est, modo fere ineluctabili, sese evolvere. Re quidem vera scrupulosi dicunt, se cogi ad cogitandum modo exaggerato; invito animo, vim mentis exercere; ad motus irritos peragendos compelli; denique affirmant se laborare emotionibus ineluctabilibus et inexcusabilibus ob conditiones et circumstantias.

In praesenti capite, animum intendemus in his investigandis symptomatibus.

Hujusmodi phaenomena collecta, designataque uno nomine donata sunt. Donath (1) ea vocare proposuit *anancasmata*, a voce ἀναγκάζω, *cogere;* quia eorum potissimum est per vim, subiecto invito, produci. A Germanis, processus obsidentes *(processi ossessivi, Zwangsvorgänge)* nuncupantur, quae appellatio significat ad ideas obsidentes, haec accedere phaenomena, quae ad instar processuum et quidem coactorum gignuntur. Ab Janet (2) definitio: *agitationes coactae* usurpatur, quam sequi bonum nobis videtur, quippe quae indicat cogitationes, actus, emotiones, immoderata esse unaque simul absque fine, scilicet phaenomena sine conscientia producta, quibus scrupolosi animus agitatur atque ad seipsum agitandum cogitur.

Agitationes coactae, tres in series dividuntur, prouti agitur de cogitationibus vel de motibus aut de emotionibus. Et in una qualibet serie, phaenomena obversari possunt sive modo systematico sive diffuso.

---

(1) *Archiv. f. Psych.*, 1896.

(2) *Obsess. et psychast*, pag. 112, vol. I.

Sit sequens classificatio:

agitationes coactae

- agitationes mentales
  - systematicae; *maniae mentales.*
  - diffusae; *ruminatio mentalis.*
- agitationes motrices
  - systematicae; τὰ *tics.*
  - diffusae; *crises agitationum.*
- agitationes emotionales
  - systematicae; *phobiae.*
  - diffusae; *angores.*

§ 2. — De agitationibus mentalibus.

Agitationes mentales, praecipuam cogitationum seriem constituunt. Ipsae quoque eae sunt, quae magis ad ideas obsidentes accedunt. Sunt mentis operationes, reflexiones, comparationes, inquisitiones, quae diu in animo subiecti haerent eumque, modo ineluctabili, possident. Duplicem obtinent seriem; aut sunt *systematicae*, et tunc vocantur *maniae mentales*, aut sunt *diffusae*, et tunc dicuntur, *ruminationes mentales*, *cogitationis effugatio*, *mentismus.*

a) *De maniis mentalibus systematicis.* — Maniae mentales scrupulosi, sunt interminatae operationes intellectuales circa parva, quae in animo subiecti locum obtinent admodum nihil vero eorum momento respondentem.

Primam ac potissimam harum maniarum seriem, constituunt *maniae fluctuactionis (manie dell' oscillazione)* quibus mens ad perfectam pervenire persuasionem respectu certi subiecti, decisionem facere nescit, sed magis magisque continenter anceps haeret.

Sic habetur *mania interrogationis.* Hi aegroti sese de certa re interrogant: de suis sensibus, de suis sensationibus, de suis recordationibus, quin sciant quoddam inire consilium. Inveniuntur qui sese interrogant, an votum ingrediendi religionem emiserint. Sunt qui sese interrogant an hostiam dentibus fregerint, neque desunt qui sese interrogant, antequam aliquod factum ge-

rant, an consideraverint licitumne sit necne. Singulare est quod aegroti nostri, consilium capere haud sciunt. Circumstantiae equidem occurrunt, quae eos impellunt, ut obiectis interrogationibus annuant neque una simul desunt circumstantiae, quae eos ad negandum cogunt.

Cum dubium respicit actus, tum *mania haesitationis, deliberationis* adest. « Possumne talem peragere actum an non? Licetne? » Atque subiectum in contrarias disserere partes pergit, quin consilium capere sciat.

Aliquando habetur *mania interrogandi augurium ex contingentibus (mania d'interrogazione del caso).* Cum aegrotus quaestionem sibi propositam explicare nescit, consilium praesagii recipere decernit, aut acquiescit alicui potiori facto, quod perpendere nequit. « Credone in Deum an non? », unus ex his poscebat. « Si iter faciens, incertus aiebat, arborum umbras effugere potuero, credam in Deum; sin minus, non credam ». Alter se ad fenestrae vitrum applicat. « Nisi vitrum frangitur, sacrilegus non sum; sin aliter, sacrilegus evado ».

Typicum refert casum J. J. Rousseau. Is, metu inferorum corripiebatur, et ipse idem, in suis confessionibus refert, se sequenti praesagio usum esse ad sibi propositae interrogationi respondendum. « Si hanc lapidem inicio in arborem quae contra me est, eamque percutio, signum salutis est, sin aliter, signum damnationis. « Et prouti ipse refert ». Lapidem, pavida manu et horribili cordis palpitatione, inieci, sed tam felix fuit exitus, ut arbor percussa evaderet. Quod difficile minime erat, quia magnam et proximam arborem seligere curaveram ».

Ita, quaedam nescit an religionem ingredi debeat necne. Concludit, Deum esse in coelo praesagia ostensurum, veluti cruces, sanctorum imagines, si velit ipsam religionem ingredi. Et ecce aegrota se immergit in longissimam interrogationum seriem ut videat utrum praesagia aspexerit necne.

Haec omnia phaenomena, *mania dubii, interrogationis, deliberationis, praesagii, augurium agendi,* arcte inter se colligantur, atque ordinem constituunt, cuius est fluctuatio spiritus in utramque partem *(tra il sì e il no)*, ita ut nunquam aegrotus capere consilium sciat.

Maniae ultra gradiendi (dell'al di là) alterum constituunt ordinem maniarum mentalium. In his adiunctis aegrotus, qui se e dubio eximere enititur, aliquid aliud in mente substituit, loco illius rei, quae ipsam mentem torquet, eique, praeterire dubium, ultraque gradi, sufficit.

Itaque, ob hujuscemodi mentis processum, producitur *mania praecisionis.* Aegrotus, certitudinem acquirere nescius, ut certiorem se faciat, actus et cogitata mentis circumdet necesse est iis omnibus, quae eadem materialia reddere possunt ac praefinita. Typicum casum egomet inspexi in quadam Sorore, scrupulis laborante, quae cupiebat, ut scripto significarem quid ei agendum esset, quot horarum momenta orandum, preces persolvendas, etc.

Maximi est momenti *mania notarum (delle cifre).* Reperiuntur scrupulosi, quibus opus est exprimere notis numerum peccatorum, nec non adamussim significare diem alicuius admissi peccati. Sunt et alii quibus quidam numeri satisfaciunt, de quibusdam vero non sunt contenti.

Permagni autem nostra interest ut consideremus *maniam inquisitionis.* Hi aegroti sese frequenter interrogant. « Commisine aliquid improbandum an non? ». Atque ut huic interrogationi respondeant, conatus quam maximos experiuntur ut omnes actus admissos in mentem revocent, nec non eorumdem circumstantias. Ipsis omnia minima recordari opus est, ac integras horas consumunt in his minimis rebus subtiliter investigandis.

Quod si haec investigatio aliquo vitio fortasse laboret, tum aegroti in desperationem labuntur. « Quid ego illo temporis momento egi? » Et memoria a scrupuloso torquetur ut sibi persuadeatur eo momento nullam admisisse culpam.

Ad hanc maniam inquisitionis recordationum, accedunt facta, quae apud Magnan et Charcot sunt, veluti *onomatomania*, idest *mania nominum*, ob quam aegrotis nostris opus est nominum personarum reminisci. Multi autem scrupulosi ad sedem poenitentialem accedunt cum libello *(carnet)* in quo omnia nomina notarunt, vel secum ferunt libellum in quo nomina variorum locorum describunt.

Inquisitiones alias res respicere possunt. Janet (1) casus cujusdam meminit, qui, iter faciens, recordari nititur omnia loca per quae transit terraeque prospectus. Quod, si memoria alicuius rei deficitur, eo pervenit ut iterum iter faciat, ut omnia ad memoriam redigat. Interdum, inquisitio praetergredi potest facta temporis peracti et futuri, et versatur in quaestionibus scientificis et philosophicis. Janet affirmat se in multis scrupulosis observasse omnes hujuscemodi inquisitionum gradus, nempe in explicandis tum infimis tum perdificillimis quaestionibus philosophicis. Ex: gr.: « Cur Deus hoc illudve fecit? ». « Cur notae litterarum *(lettere dell'alfabeto)* sunt viginti quattuor? ». « Quomodo conficitur peniculus? ». « Quomodo possunt parva nigra puncta in charta signata, cogitationes continere? » « Quomodo verba in ore adsunt, dum cogito? » « Quomodo verbum, cum sit sonitus, potest cogitata mentis transmittere? » *(mania explicationis).*

Necessitas praecisionis, quam hujusmodi maniae ostendunt, clare etiam patet quoad *maniam praecautionum;* qua affectus, scrupulosus necesse est tot actus

(1) *Op. cit.*, pag. 126.

peragat parvi momenti vel etiam futiles, ut facilior evadat actus quidam, aliunde arduus. Sic, ex. gr., scrupulosus, suos omnes actus, omnes motus, omnes cogitationes perspicit, ut pro certo habeat se nullum patrare peccatum.

Quae necessitas praecisionis etiam quoad *maniam repetitionis* apparet, qua scrupulosi etiam atque etiam actus repetunt, ut certum sciant se eos adamussim conficere.

Hujusmodi maniae ultra gradiendi omnes eodem recidunt. Ipsae ad extremum operationes mentales pellunt. Haec est ratio propter quam ii aegroti semper effingant in suis obsessionibus, scelera, sacrilegia, sollicitudines graves neque verosimiles. Ipsi pessima patrarunt, pessimi omnium peccatorum sunt, ad infernum implacabiliter, uti ipsi aiunt, praedestinati.

Omnes isti conatus ac processus, ad actionem vel ideam perficiendam, ad dubium repellendum, ad certitudinem acquirendam tendunt. Sed, uti vidimus, frustra conatus ab aegrotis nostris ponuntur.

Hinc aliae oriuntur maniae, quae tertium ordinem constituunt: *maniae reparationis.*

Sicque hic habetur *mania compensationis.* Actione peracta, quae aliquo laborare vitio scrupoloso videtur, ipse alteram priori contrariam perficiat necesse est, ut illam compenset.

Habetur et *mania expiationis,* qua scrupulosus aliquid conficiendum curat, quod praetium poenae exaequet. Nonnulla exempla, capite praecedenti, retulimus.

Praeterea notatu dignae sunt et *mania pactorum et obsecrationum.* Equidem scrupulosi potius quam considerent actionem praesentem eamque compensandam curent, potiusquam actionem peractam considerent eamque expiandam curent, malunt saepe saepius de actione futura cogitare; seque ipsi obligant eam esse expiaturos

ac reparaturos. Hic modus sese in tempus futurum obligandi, characterem obtinet pactorum et juramentorum aut votorum. Nonnulla referam exempla. « Antequam hoc conficiam, mihi haec recitanda est oratio ». « Nisi aliquantum temporis Deum oravero, antequam mea peccata confitear, mihi statim male sit ». Quoad hujuscemodi aegrotos, pactum, jusjurandum, obsecratio, videntur esse veluti media, quibus ipsi faciliorem reddunt actionem, aut quibus actionem vitiatam reparant; sed sensim mania evolvitur ac renascitur respectu cujuslibet actionis etiam nullius significationis, quam ipsi conficiunt, vel conficere cupiunt; sicque hujusmodi inquisita media magis magisque aegrotos inhabiles reddunt ad agendum.

Gravioribus in casibus, cum scrupulosi non solum non sunt suis actionibus contenti, sed etiam se impelli sentiunt ad actiones malas peragendas, summopere contendunt contra vim, quae ipsos ad hujusmodi patrandas actiones compellit, atque actionem aliam opponunt, quae ipsis bona aptaque videtur ad tentationem malam deprecandam.

Haec *mania obsecrationum* propria scrupulosorum est, saepeque inservit ad latentem morbum dignoscendum.

Impossibile est omnes enumerare obsecrationum formas, quae adhibentur. Attamen notare juvat eas esse artatas responsiones, signa nullius momenti, nisi forte ob eorum symbolicam significationem. Plerumque obsecratio, simplex elocutio est : « Abi (cum daemonium compellunt); non, non »; « te non audio ». Alias, creberrimae supplicationes sunt, quas continenter incredibili celeritate repetunt. Alias, signa sunt, signa crucis, aut gestus ad aliquem repellendum, ad minas jactandas, etc.

Quae diversae maniae mentales, primo aspectu, satis frequentes videntur, atque unaquaeque ipsarum multiplicem videtur exhibere varietatem. Unusquisque aegrotorum, opinatur se unum omnium mortalium affici huju-

scemodi mania mentali; et aliquando medicus quoque, ei credit. Ex quo fit, ut frequenter recenseantur insueti morbi: morbus superstitionis, morbus dubii, arithmomania, onomatomania, insania perfectionis, etc. Sed evidenter patet iis, qui secuti sunt quae hactenus diximus, hujusmodi morbos nihil aliud esse nisi varietatem eiusdem maniae, idest unum ex mediis quibus scrupulosus certitudinem adipisci conatur (formas ex idea obsidenti consequentes, ut quidam opinantur; manifestationes primigenas, sicuti alii docent) proprietates nostrorum aegrotorum.

Omnes autem has manias, postremo, constituere unitatem clinicam, scilicet nihil aliud esse nisi ejusdem phaenomeni varietatem ex eo colligitur quod in morbi evolutione inveniri possunt in eodem aegroto successive plures varietates eiusdem maniae. Insuper saepe numero ad maniam animi dominantem, quaedam aliae adhaerent plus minusve evolutae. Praeterea si, mediante cura, efficiamus ut in aliquo aegroto aliqua mania destruatur, alia facile apparet.

Haec commixtio et successio variarum maniarum, si res *clinice* inspiciatur, clare ostendit varias has formas esse inter se affines omnesque pendere ex eadem mentis dispositione, quae earumdem prima origo est. Haec dispositio, est quaedam agitatio psychica, necessitas cogendi mentem ad operandum, quaeque perfectiori modo in mania mentali diffusa reperitur.

b) *De maniis mentalibus diffusis.* Maniae mentales, quas hactenus descripsimus, eamdem mentis activitatem certam ac praefinitam nobis mostrabant, idest, ut rite loquamur, mania erat circumscripta seu *systematizata.* Sed, uti jam notavi, hae maniae inter se associantur, commiscentur, sibi invicem superponuntur, plus minus confuse substituuntur, et character *sysiematizationis* plus minusve evanescit. Abnormis equidem est

haec conditio mentis, qua aegrotus congerit associationes idearum, interrogationes, pacta, vota, obsecrationes, juramenta, inquisitionem nominum et numerorum, omnemque maniarum varietatem, quas descripsimus, ita ut in inexplicabiles laqueos incidat, quibus implicatus quo magis relaxari contendit, eo difficilior relaxatio evadit. Aliquando associationes idearum, in memoriam revocant quaestionem, primum dubium, ac tum aegrotus, molestam renovat suarum maniarum seriem. Et quo doctior est aegrotus, eo facilius causas struit ut animo suas manias meditari pergat. Utcumque vero, etiamsi earum absurditatem perspiciat, easdem relinquere nescit.

Varia huic phaenomeno imposita fuere nomina, *effugatio idearum (fuga di idee), volatus idearum (volo di idee; Ideenflucht),* sed magis congruit nomen: *ruminatio mentalis (ruminazione mentale),* quo et nos utimur.

Quemdam typicum casum ruminationis mentalis nobis praebuit, ut jam superius vidimus, illa mulier, quae, incerta an emere debeat carnem ad jusculum parandum, tres consistit horas in gradibus scalarum, suis obruta maniis, cogitationibus, dubiis, usquedum vir revertitur eamque sic stantem invenit.

Haud tamen me poenitet quemdam alium subjicere casum, qui apud Janet et Raymond est (1). Quaedam scrupulosa, propter expiationis maniam, qua de culpa me fugit, se de cibo non sumendo damnat. Pater eius, longe lateque ostendit edere necesse esse ad vivendum, proindeque ei edendum esse. Aegrota hoc esse optimum intelligit; si edere posset, pacem recuperaret; sed aliquid adest, quod hoc prohibet, memoria nempe juramentorum emissorum. Quid ei eveniet, si jurajuranda non servaverit? *(mania interrogationis).* Alioquin, si jusjurandum violare nefas est, suorum quoque parentum jussa respuere non licet. Ipsa enim etiam nonnulla praestitit

(1) *Op. cit,* pag. 176, ss.

juramenta non amplius despiciendi jussa suorum parentum, neque se causam fore cur sua mater lacrimas effundat. Utrum juramentum, pluris est? Dictum est ei, juramenta ridicula non obligare; sed quaenam juramenta vere ridicula sunt, et quaenam destruenda sunt, cum ipsa liquido nesciat quaenam juramenta hujusmodi sint? Norma ei praescripta, hypothetica est, atque ad ipsam postremo spectat, quid statuendum *(mania fluctuactionis)*. Sane equidem cavet ne haec pacta scribat; quod autem scriptum non est, pro nihilo ipsa facit *(mania praecisionis)*; sed fieri nequit ut ipsa non scripserit, quin rationem reddiderit; quaevis epistula ad amicam est pactum *(mania symboli)*. « Sed quomodo sciam an scripserim? Si caput quinquies continenter volvere potuero, antequam mea redeat ancilla, nihil promisero; sin minus, promisero (τὸ *tic* et *mania praesagii*). Sed saepenumero per caput matris meae juravi. Propterea, fortasse obiit. Si per caput patris mei juro, fortasse et ipse, causa mea, morietur. An exsecrata sum? » Sicque horae cedunt quin rimam reperiat, quaestionique sibi ab initio propositae respondeat (1).

Cum hujusmodi ruminationes, extrema persequuntur, tunc appellantur *inanes species coactae (rêverie) et mentismus*. Nunc ad alterum agitationum ordinem pergamus.

§ 3. — De agitationibus motricibus.

Nullus est confessarius, uti reor, qui non perspexerit in scrupulosis, quosdam motus abnormes, inordinatos, gestus repentinos iterum atque iterum peractos. Admodum frequens hoc evenit phaenomenon, omnesque aegrotos plus minusve attingit. Interest igitur illud perscrutari.

---

(1) RAYMOND ET JANET, *Obsessions et psychasténie*, Vol. II, pag. 368.

Ante omnia vero, notandum est quod, primo aspectu, videretur agi de excitatione mentis, quam aegroti, motibus quodammodo manifestare enituntur. Hujusmodi motus praebent eosdem characteres, quos obtinent phaenomena *coacta* usque nunc descripta. Ejusmodi vero verbum minime accipiendum est literali sensu. Oriuntur equidem absque ulla relatione sive cum circumstantiis exterioribus sive cum subiecti desideriis; attamen omnino inconsiderati non sunt; non enim conficiuntur animo subiecti prorsus repugnante et invito.

Subiectum eos confici, quadantenus saltem, animadvertit, quia eos conficere vult, sed se cogi simul uti hac inani et absurda voluntate persentit; sunt, sicuti quidam scrupulosus aiebat, *coacti labores.*

Sicut maniae mentales, ita et agitationes motrices possunt esse systematicae vel diffusae; illae constituunt *τὰ tics;* istae, *crises.* Videamus igitur distincte studere his duobus ordinibus, saltem quoad characteres fundamentales.

a) Τὰ *tics.* — Animadvertit Janet (1) admodum recens esse studium circa *τὰ tics,* quia *τά tics* olim confundebantur cum convulsionibus et spasmatibus, recens vero studium psychopathologiae, mentes ad hoc phoenomen revocavit, atque characteres fundamentales in lucem protulit.

Primus character *τοῦ tic,* est eius *systematizzatio;* eius scilicet similitudo cum quodam complexu motuum *systematizato* et coordinato, qui actum constituit. Olim Trousseau (2) docebat *τὰ tics* esse rapidas contractiones generatim tantum pertinentes ad parvum numerum musculorum faciei, sed aliquo in casu, posse ceteros

(1) *Op. cit.,* pag. 162.
(2) *Clinique de l'Hôtel Dieu,* 1876, II, pag. 267.

quoque musculos colli, trunci, et brachiorum pervadere. Denique is tantum de motuum parvitate loquebatur; itaque quaedam parvae convulsiones epilepsiae imperfectae confundi poterant cum *tics*. Primus omnium in distinguendis clinice τοῖς *tics* a phaenomenis convulsis fuit Brissaud (1). Is demonstravit quod τὰ *tics*, praeter hunc characterem quo nihil aliud sunt nisi motus parvi et incitati, alium caracterem obtinent, nempe *systematizationem*, quam equidem jam Charchot (2) indicaverat, sed ipse plane in clariorem lucem protulit. Nimirum hoc contingit quoad τὸ *tic*, ut habeantur plures motus implexi ope plurium musculorum ex diversis nervis dependentium et diversi motus a diversis nervis inter se coordinatis innervantur. Sunt, aiebat Charcot, ridicula imago et falsa imitatio veri actus. Hic character in omnibus τοῖς *tics* invenitur. Ita, ex. gr., τὰ *tics* palpebrarum, idest nictari; motus palpebrarum respondent actibus productis aut ex praesentia cujusdam corpusculi extranei in oculo, aut ex luce clariori. Τὰ *tics* nasi, idest nares corrugare, emungere, respondent actibus normalibus, variis de causis confectis. Τὰ *tics* labiorum, oris; mordere labia, sugere, deglutire, respondent actibus normalibus peractis ad auferendam pelliculam ex margine labiorum, ad tangendum dentem cum dolet, ad aliquod punctum linguae tangendum, etc. In capite concutiendo, in movendo collo, etc., inveniuntur et alii respondentes actus varias ob rationes confectos, quos hic memorare nihil interest. Et ita porro.

Secundus character τοῦ *tic* est, praebere actus inopportunos et intempestivos. Τὸ *tic*, aiebat Charcot, loco citato, nihil aliud est nisi ridicula imitatio actus veri...; attamen non est motus in se absurdus, sed absurdus et irrationalis evadit, quia inconsulte et sine ulla visibili

---

(1) *Leçons sur les maladies nerveuses*, 1ª serie, 1895, p. 513.
(2) *Op. cit.*, pag. 165-167.

ratione operamur. Janet addit (1), quod, si τὸ *tic* est actus, tamen actus sterilis est, et nihil producit, ne damnum quidem. Haec inefficacia τοῦ *tic* prope coniungenda est cum completa inutilitate maniae mentalis, atque refertur ad perturbationes voluntatis quae in scrupulosis fundamentales sunt.

Et re quidem vera, si quis scire velit quid sit τὸ *tic*, meditetur necesse est statum mentalem, qui illud producit quique unus est qui illud explicare valeat. Cunctaque autem recentiora studia circa τά *tics* eo quidem intendunt, ut in lucem, hanc connexionem, proferant. Re vera τὸ *tic*, comitantur phaenomena conscientiae, voluntatis et cogitationis. Revera scrupulosus sibi conscius est ejus quod agit; is cognoscit se claudere oculos quasi ne quid videat, gestum perficere quasi quempiam arceat (ex. gr., diabolum, qui malas suggerit cogitationes), etc., et hanc conscientiam habet, etsi neget. Hic, suae voluntatis interventus tanti interest ut ipse sua sponte plene perficere valeat suum τὸ *tic*, vel illud parumper suspendere et in aliud tempus differre. Si confessarius prohibeat, quominus poenitens amplius perficiat gestum, quo repellit diabolum, qui tentationes affert, poenitens iterum hunc gestum non agit. Quilibet autem confessarius observaverit scrupulosum, innumeros hujuscemodi actus peragere, cum ad sedem poenitentialem accedit. Jamvero sufficit, quod confessarius edoceat poenitentem horum actuum absurditatem, ne amplius ipse eos repetat.

Cur igitur scrupulosus vult hos absurdos actus conficere? Dicendum est saepenumero, scrupulosum compelli ad hujusmodi motus peragendos, quin et ipse idem rationem agnoscat. Si instabis, si originem horum motuum quaeres, eos determinari reperies ex illis mentalibus maniis, quibus nuper studuimus, ac plane has esse

(1) *Op. cit.*, pag. 165, ss.

manias mentales invenies, quae habitudinem hujusmodi actuum determinarunt. Necessitas praefiniendi, rei veritatem explorandi, expiandi (in memoriam sunt revocandae maniae respondentes, quas supra descripsimus) tales habitudines determinat. Quod clare patet si haec τὰ *tics* consideramus, ea prope coniungentes cum maniis mentalibus, quae eadem determinarunt, quaeque denique eorumdem rationem mentalem constituunt.

Ita habentur τὰ *tics perfectionis*, quae cum maniis *ultra gradiendi (dell'al di là)* quas didicimus, coniunguntur. Habentur τὰ *tics*, quae ad maniam *tentationis*, *impulsionis*, *praecautionis*, etc., accedunt. Nihil interest, omnes ordines, omniaque exempla commemorare, quia non absolute confessarii refert τὰ *tics* cognoscere; at facere non possum quin aliqua typica commemorem, quae facile ut plurimum in scrupulosis observantur.

Ita, ex. gr., quaedam puella, quae se continenter compelli sentiebat ad patranda facinora *(mania tentationis)* singulis momentis motus brachii peragebat quasi aliquid caederet. Hujusmodi porro actus communiter ab aegroto interpretantur tamquam argumenta ad probandam gravitatem impulsus ad peccandum et tamquam actuum initium, cum sint actus, quos subiectum sponte peragit ut pareat suae maniae inquirendi impulsum ad peccandum. Plures aegroti, cum actum conficere debent, de operatione cogitant opposita illi, quam timent, atque haec cogitatio, eos admonet, ut compleant vel incipiant hos actus prorsus oppositos. Alii actus intime connectuntur cum mania repetitionis. Sunt aegroti, qui in sella sedent, inde surgunt, iterum sedent, et sic etiam atque etiam continenter; cum e contra alii continenter semel atque iterum ostium claudunt et aperiunt quin agere decernant, quod ipsis est agendum. Alias, agitur de motibus, qui referri possunt ad maniam perfectionis. Alius quidam juvenis, quem cognitum habebam, multoties expuebat ante communionem, ad os accurate ter-

gendum. Alius, semel atque iterum signum crucis agebat, quia sibi numquam conscius erat, an illud perfecte confecisset *(mania perfectionis)*. Superius vidimus casum cujusdam, qui simulatque manum mulieris tetigerat, ei manus hominis tangenda erat *(mania compensationis)*. Frequentes sunt actus, quos *mania expiationis* gignit. Infelix quaedam Soror iter faciens, quoties ob vitae necessitudinem, levare oculos cogebatur, sibi fortissimam vellicationem impigebat. Alia puella, cui obscenum erat ad latrinam pergere, antequam ingrederetur, genuflectebat, etsi et ipsa actum esse absurdum perciperet. Alia, antequam se despoliaret, cum aliquid obsceni esse in hoc actu perficiendo ei videretur, quater ac quinquies genuflectebat. Quodam die, cum confessionibus audiendis vacarem, dum quaedam scrupulosa suam confessionem peragebat, inusitatos percipiebam sonitus. Indagationem peregi; poenitens erat, quae quoties aliquod confitebatur peccatum, enormem cubiti ictum in angulum sedis confessionalis impingebat *(mania expiationis)*. Itaque hi aegroti, totos dies consumunt in actibus insuetis perficiendis, verbaque mussant ut se confirment ad aliquam actionem peragendam vel ut sibimetipsis impediant, quominus alteram actionem compleant. Ipsi autem sibi conscii sunt quam practicam commoditatem percipiant; nullam quidem. Cumque peccatorum manifestatio sit actuum difficillimus, mirum non est, quod, dum confessionem peragunt, actus multiplicentur.

b) Crises agitationum motricium. — Sicuti agitationes mentales dissociatae non semper sunt, ita etiam agitationes motrices non semper dissociatae extant. Tum non hic vel ille motus, sed verae agitationes diffusae — uti dicitur — habentur, id est, quae pluribus motibus constant. Quibusdam in aegrotis, motus, magis ac-

celerati et notabiliores atque simul incertiores fiunt; ipsi videntur veras crises convulsas constituere.

Aliquo in casu, constituere possunt graviora phaenomena similia crisibus hysterismi, a quibus eos differre difficile evadit. In levioribus casibus, inveniuntur motus incipientes. Scrupulosus suo in loco consistere nequit, vagatur in suo cubiculo, vel egreditur, ambulatque, quin consistere sciat. In aliis casibus, sunt verae maniae conatus, quasi scrupulosus animum ad aliquid agendum intendat atque enitatur ut ipsum suum corpus particeps sui conatus fiat, et sic membra contorquet, contrahit, magnos afflatus emittit, etc. In casibus autem gravioribus, non se continet, quin per humum evolvatur, membra quocumque contorqueat, quasi hystericus convulsionibus captus. Aliquando his aegrotis opus est omnia obiecta ruere, frangere, humi sternere; at re vera nullam rem pretii frangunt aut humi sternunt; malum sibi minime inurunt, illic plane subsistunt ubi subsistere cupiunt vel statim ut percipiunt se a quibusdam conspici. Crise peracta, eius quod egerunt plene sibi conscii sunt.

Repetere juvat: hujusmodi casus quoad agitationes motrices diffusas rarissime occurrunt in sede confessionali, ubi, ut plurimum, casus tantum incipientes sunt. Plerumque observari possunt in nosocomiis, in aulis clinicis, ubi recipiuntur, quia aestimantur veluti casus hysterismi. In omnibus his casibus, haud difficile viro perito est, invenire characteres fundamentales agitationum motricium, agi scilicet de quibusdam motibus exaggeratis, inutilibus, absurdis, crasse repraesentatibus actum male confectum, cujus inutilitatis et absurditatis scrupulosus ipse sibi conscius est, quem actum tamen complet et ad eum complendum cogitur, quamquam eum complere nolit.

§ 4. — De agitationibus emotionalibus.

Quibusdam in aegrotis una cum his obsessionibus, maniis mentalibus et agitationibus motricibus, alia quoque reperiuntur phaenomena, quae *agitationes emotionales* vocarunt. Quorum phaenomenorum studium magni ponderis est, quia nonnunquam ad ea aegroti referunt primam causam suorum malorum, et quia a nonnullis auctoribus aestimantur veluti praecipuum phaenomenon, a quo cetera omnia manant. Convenit igitur et nos iis studere (etsi parvi momenti apud confessarium sint), quia aliquam eorumdem cognitionem capere jubemur, ut intelligatur implexa scrupuli natura atque doctrina struatur, quae rationes eorumdem exponat, quod omnino necessarium est, ad curam rationalem proindeque efficacem assequendam.

Hujusmodi emotionales agitationes, characterem obtinent qui est communis omnibus phaenomenis a scrupulosis exhibitis; sunt nempe phaenomena exaggerata, inopportuna, absurda, etiam imposita aut suggesta et quidem nulla ratione, a conditionibus in quibus scrupulosus versatur, quae tamen, ipse idem vult, quamvis invito animo. Aegrotus opinatur fieri non posse, ut ea evitet, non patitur ea tamquam factum physicum, eisque fere jucunde se tradit, quia putat se ab iis abstinere non posse.

Character agitationum emotivarum est quod sint molestae; aliquando accedunt ad dolorem, ad tristitiam, ad metum. Nonnumquam hic metus praefinitus est; respicit obiectum determinatum (scil. est *systematizatus*); claris notis emotionalibus fruitur, eumque perceptiones atque praefinitae ideae comitantur. Quo in casu vocantur *algiae* a quibusdam, sed communius *phobiae*. Alias, tam praefinitae et systematizzatae non sunt; nullam habent

relationem cum quadam determinata cogitatione, et constituunt *angores*.

a) Phobiae. — Hae emotiones coactae systematicae quas phobias appellavimus, numerosissimae sunt. Adeo sunt numerosae ut nullus, aliquot annos continuos, inveniretur studiosus, qui non describeret aliquam novam formam et suum cuique nomen graecum imponeret. Sic ortae sunt misophobia, canophobia, nosophobia, agoraphobia, microphonophobia, et etiam triacaidecaphobia (i. e., phobia quoad numerum tertiumdecimum)! etc., Haud tamen difficile est intelligere quomodo colligi possint, quam vis magnus sit harum varietatum numerus.

Item quoque numerosae classificationes propositae fuere. Nullam vero classificationem amplexi, ne infinitam aggrediamur disputationem, tantum illas praecipuas formas expediemus, quae majoris momenti sunt apud confessarium.

Algiae proprie dictae, constituunt primum ordinem. Plures scrupulosi, quemadmodum et hysterici, in aliquibus corporis punctis, quasdam praebent dolentes partes, in quibus nullum pati contactum queunt. Si has partes tangant, vel si debeant iis aliquem motum peragere, dolores et molestias enormes neque causae agenti respondentes, patiuntur. Ipsa circulatio et respiratio perturbantur, ipsi sudore madent, membra contorquent, et lamentabiles clamores tollunt. Hi immodici dolores duabus diversis circumstantiis producuntur. Nunc sunt continui, certamque corporis partem respiciunt *(topoalgiae)* et sunt algiae sensu vero et proprio; nunc, evolvuntur tum, cum organus agere incipit et nuncupantur *functionum phobiae.* Evidens est, quod pluribus in casibus, hae duae formae prope coniunguntur et permiscentur. Phobiis vero functionum praesertim afficiuntur sensus. Quaedam scrupulosa simul ac thuris odorem percipiebat, mo-

lestissimis capiebatur angoribus. Hic odor, aiebat, ei in mentem revocabat omnia commissa peccata. Eo res pervenerat ut ipsa adire Ecclesiam amplius non posset. Frequenter, afficiuntur organa genitalia. Jam innuimus (et magis inferius videbimus) quam partem habeant organa genitalia in obsessionibus. Scrupulosi affirmant se torqueri cogitationibus obscenis ac mente effingunt, se videre organa genitalia, res sacratissimas contaminare. Prope vero hanc obsessionem adest quoque respondens algia organorum genitalium, cum ea evidenter connexa. Curiosius est, quod si metiatur hunc dolorem instrumentis specialibus propriis, quibus psychophyosologi utuntur ad metiendum dolorem (ex. gr. illum quem acus inurit) ipsi exhibent sensibilitatem dolorosam normalem.

Una cum phobiis functionum, alius ordo, notatu dignus est: *phobiae obiectorum.* Obiecta reperiuntur quae, ubi a subiecto aspiciuntur, crisem excitant dolorem afferentem. Et ratio evidens est. Obiectum revocat in mentem scrupulosi suam obsessionem.

Quandoque loco aspectus, adest contactus cum aliquo obiecto *(phobia contactus).* Si illud tetigerit, profecto peccatum committet, atque rationes absurdissimae occasionem praebent. Sensim equidem obiecta multiplicantur, fierique non potest ut aegroti nostri vivant, quia quodque obiectum propriam recipit significationem ac, si alio se conferre cogantur, brevi in priorem prolabuntur conditionem, quoniam novae enascuntur associationes mentales, hinc et novae rationes crisium dolorem afferentium.

Quandoque hae phobiae, potius quam certa respiciant obiecta, sese in aliis circumstantiis evolvunt causâ perceptionum magis implexarum, quae tamen non respiciunt obiectum certum et determinatum, sed cumulatum complexum factorum et impressionum subiecti, idest conditionem vel physicam vel moralem cuiusdam subiecti. Et sic habentur *phobia solitudinem experiendi*

(di trovarsi soli), aut *phobia ne clausi aliquo in loco remaneant*, aut *phobia socialis conditionis.*

Typica est illa admodum famosa *ereythphobia*, quam Casper, Dubois et Westphal descripserunt, ob quam, qui eadem afficiuntur, neque in publicum prodire, atque ne domo quidem egredi, audent. Rubor, qui quavis de causa, suum occupat vultum, is est qui eum cogit ad solitariam vitam agendam. Ipse timet ne erubescat. Atque hic timor, quocumque eum persequitur, neque sinit eum bono animo esse.

Pluris momenti apud scrupulosos sunt *phobiae idearum.* Quae phobiae non determinantur a sensationibus circum scriptis, a perceptionibus obiectorum, sed a quadam idea abstracta, quae enascitur in mente scrupulosi. Omnes ideae obsidentes quas descripsimus, possunt tales phobias determinare. Idea sacrilegii, blasphemiae, daemonis, etc.

b) Agitationes emotionales diffusae seu angores. — Rarissime hae phobiae, quas descripsimus, dissociatae permanent. Ut plurimum permultae exhibentur a nostris aegrotis vel una simul, vel ipsi alias atque alias experiuntur. Id e contra, quod est commune omnibus aegrotis, et in quod hae omnes phobiae transformantur est *angor.* Ita ut, si consideretur angor, minoris momenti et secundaria res est, quod ipse oriatur ob talem perceptionem, ob tale obiectum, ob talem circumstantiam, ob talem ideam. Angor autem tam ad phobiam accedit, quam ruminatio ad maniam mentalem, et *τά tic* ad agitationem motricem; agitur nempe de illa phobia, quae non est praefinita et systematizzata, sed diffusa; id est pluribus phobiis constat. Quin imo eo pervenire possumus, ut phobia aegrotum deficiat, eique tantum angor remaneat. Nullus est confessarius, uti reor, qui non inspexerit hanc dolorosam conditionem scrupulosi.

Characteres angorum sunt non tantum psychologici, sed etiam physiologici, quoniam angor habet etiam quendam repulsum in ipso organismo, in quo determinat repercussiones maxime insuetas et diversissimas.

Ab his postremis ordiamur; i. e. effectibus physiologicis angoris. Juxta Freud (1) habentur perturbationes cardiacae, perturbationes respirationis, perturbationes apparatus digerentis seu digestivi, nocturni terrores, generales fremitus et tremores corporis, repentini et profusi sudores, status generalis irritabilitatis. Hodie his phaenomenis diligenter stùduit Janet (2); sed ego iis instare non possum, cum hoc nihil eorum intersit quibus hic inscribitur liber. Ceteroquin, ut intelligatur quanti in praesenti intersit, animadvertere sufficit quod quilibet confessarius procul dubio observaverit in scrupulosis, hanc physicam perturbationem. Haud amplius loqui sciunt, respiratio fit difficilis, molesta, intercisa, profuso sudore madent, commoti aliquo in loco consistere nesciunt, verbum unum sufficit ut lacrimis conficiantur vel ut animo fracti consistant; impellente necessitate mingendi anguntur, fremitus in omnes musculos penetrant, tremores totum corpus occupant. Demum generalis est perturbatio, quae statum molestum horum miserorum ostendit.

At praecipua et majoris momenti sunt phaenomena intellectualia, effectus psychologici.

Hic status, ait Ribot (3), is est in quo *omnia et nihil* timentur, in quo anxietas, potius quam coniungatur cum certo et determinato obiecto, fluit veluti in somnio, alia atque alia quaerit, omniaque pervadit ». Omnia timeo, mihi quaedam aegrota dicebat, eo perveni ut timeam ne timeam ». Hi aegroti omnes ma-

(1) *Neurolog. Centralbl.*, 1895, N. 2.
(2) *Op. cit.*, pag. 226 et seqq.
(3) *Psychol. des sentiments*, pag. 211.

xime insuetas et diversissimas sensationes describunt; insistunt in quibusdam molestissimis sensibus. « Cum mihi persuaderi propter aliquem scrupulum adlaboro, me quidam scrupulosus adloquebatur, insuetos sensus experior, quorum potior est, quod ego caput perdam. Adverte vero, non metaphorice, sed re vera.... Serpit per caput rumor, sequitur inde torpor, atque tandem veluti fulgor, idea subiit animum me esse insaniturum. Tunc, fractus, in sellam prolabor, meique cordis respirationes cessaturas audio ». Praeterea quaedam aegrota mihi dicebat: « Cum iis crisibus angor, non tantum caput, sed et vitam perdo ». Nonnulli sentiunt se amittere libertatem, fierique *automata*. « Timeo, quidam scrupulosus aiebat, tum, cum afficior hujuscemodi crisibus, ne amittam totum *meum esse*. Ne minimum quidem libertatis mihi restat. Similis festucae, quam undae quatiunt, factus sum, quoniam non amplius sum mei ipsius dominus ».

Jamvero, sane ad rem animadvertit Janet (1), hujusmodi sensationes maximi momenti esse, quia quaestionem principem ponunt, quam jam perspexerat Séglas (2), utrum nempe alterationes psychologicae quae, durante crise, surgunt, existant in scrupuloso statu permanente. Huic quaestioni ut respondeamus, accurate hos angores investigare oportet. Quod Janet agit in parte sui libri, qui inscribitur: « *Stigmata psycologica psicastenici* », quod et nos, ipso duce, agemus in sequenti capite *(cap. IV)* quoniam phaenomena descripta in capite, in quo sermo de obsessionibus fuit, jam nunc nihil aliud esse videntur, nisi manifestationes illius particularis status permanentis scrupulosi, qui, quum verificantur periodi angoris, suos nanciscitur acutos periodos.

---

(1) *Op. cit.* pag. 240.

(2) *Leçons cliniques sur les maladies mentales,* pag 118.

Antequam vero ad hoc studium pergamus, specimen praebere curamus, characterum generalium agitationum coactarum.

§ 5. — De communibus characteribus agitationum coactarum.

a) Unitas clinica agitationum coactarum. — Generatim usque ad postrema tempora, prius quam Legrain et Janet in lucem, sua studia ederent, clinici nondum solebant hujuscemodi phaenomena in unam tantum classem colligere. Imo contrariam viam sequebantur, et unamquamque phobiam, unumquodque τὸ *tic* considerabant, uti superius diximus, tamquam morbum sepositum.

Et quodam sensu distinctionem aliquam clinicam et nos recipere possumus, ideoque tres ordines phaenomenorum, quae nunc descripsimus, distinguere possumus:

1. Operationes mentales, quas *ruminationes* et *manias mentales* vocavimus;

2. motus ineluctabiles, quos tamquam τὰ *tics* et tamquam *crises agitationum* ordinavimus;

3. *Alterationes organicas viscerales.*

Dicendum autem est, quo magis mente aegroti ruminant, eo minus motus peragunt; quo magis physice agitantur, eo minus agitationibus intellectualibus laborant. Sed distinctio ulterius ferri nequit. Multae e contra rationes adsunt, quae haec phaenomena in unum colligenda suadent.

Aegroti, sicut jam notavimus, aliam atque aliam peragunt manifestationem. Scrupulosus, priusquam suas experiatur crises ob suam vivendi rationem et exercitia pietatis erga Deum, alias expertus est propter domesticas rationes atque suas quotidianas occupationes. Praeterea haec phaenomena facillime substituuntur. Sunt vero aegroti, qui omnes tres ordines phaenomenorum exhibent.

Insuper quosdam communes characteres praebent, quos jam descripsimus, veluti, v. gr., quod sint phaenomena agitationis patefaciendi abruptionem aequilibrii vitae psychicae, perturbationem vitae moralis et physicae. Parvi refert quisnam sit huius agitationis character, aut species quam recipit, aut modus quo se ostendit. Utcumque agitatio est. Et quidem *coacta agitatio*, sensu quem supra explicavimus; idest scrupulosus per vim ad hos absurdos actos perficiendos, ad has irrationabiles cogitationes colendas, impellitur. Sunt *coacti labores*, sicut diximus, usi verbis cujusdam aegroti. Hinc convenit haec phaenomena in unam classem colligere, cui nomen *agitationes coactae* juxta classificationem propositam ab Janet, quam supra retulimus, eaque habere veluti diversas manifestationes aut symptomata eiusdem modus essendi, eiusdem status morbosi.

b) Agitationes coactae relate ad ideas obsidentes. — Notatum protinus est haec phaenomena non esse stabilem characterem scrupulosorum, sed esse veluti crises plus minusve diuturnas, plus minus frequentes. Porro hujusmodi crises ob typicas causas enascuntur, quas enumerare convenit; siquidem hinc conclusionem magni ponderis deducendam curabimus.

Prima casuum collectio est *actio voluntaria*, quae has crises determinat. Sufficit plerosque allatos casus commemorare, ut videamus conatum ad aliquid volendum illum fuisse, qui effecit, ut aliquod ex descriptis phaenomenis oriretur. Aliquid agere quod est scrupuloso particulari difficultati, aut aliquid, cuius executioni obstat aliqua particularis idea obsidens, vim procellae promovet.

Alterum phaenomenon, quod eodem modo agere potest, est *attentio*. Qui scrupulis laborat, attentionem praebere debet cum confessionem instituit, totasque vires suas experiri ad se recte examinandum; tumque

crisis agitationis ad instar, ruminationis, τοῦ *tic*, angoris, erumpit.

Alia causa, esse potest emotio vel saltem aliquod genus emotionum. Dolores, gaudia, ejusmodi sunt ut aliquando in his aegrotis crises ruminationum mentalium, maniarum, agitationum motricium excitent.

Denique haec, quae descripsimus phaenomena sub appellatione agitationum motricium, originem ducunt causâ huius triplicis ordinis phaenomenorum (1): actus voluntarii, attentionis, emotionis; nimirum quotiescumque occasio adest conatum peragendi, vim adhibendi quam ordinariam majorem, eamque aptandi cuidam ideae, cuidam facto, cuidam praefinitae conditioni. Sin autem quod scrupulosus peragere statuit, perficere nequit, tunc crisis prorumpit quae pro conatu subolescit eumque substituit.

Tumque congruit nuncupare phaenomenon primarium voluntatis conatum, sive attentionem, sive emotionem, idest phaenomena excitantia, dum reliqua phaenomena *(agitationes)* sunt vera phaenomena secundaria. Atque nos ea semper posthac sic vocabimus; nam hic secundus ordo phaenomenorum pro primo ordine, nondum executioni mandato vel modo confuso et incerto confecto, substituitur. Agitationes insuper secundarias vocamus propterea quod hic secundus ordo phaenomenorum sunt phaenomena elementaria inferiora absque ulla cum rebus exterioribus relatione, ideoque inutilia. Sunt reapse actus inferiores, sine ulla relatione cum obiectivis circumstantiis, male accomodati, eoque non completi, neque coordinati.

---

(1) Non videtur nobis esse recipiendum quartum phaenomenorum genus, de quo loquitur Janet, tamquam causa agitationum, scilicet conatus ad somnum capiendum (*op. cit.*, pag. 254). Nimia clinica documenta deficiunt ut ejus veritas comprobetur.

Attamen ad intelligendam hanc alterationem actus voluntarii, attentionis et emotionis, quam producit crisis agitationis coactae, necesse est ut perscrutemus statum functionum psychicarum scrupulosorum; qua de re sequenti capite agemus.

Satis hactenus sit duo fundamentalia phaenomena a scrupulosis exhibita descripsisse atque investigasse, idest ideas obsidentes et agitationes coactas.

Caput quartum

De stigmatibus status scrupulosi.

1. *Introductio.* — Ordo logicus et chronologicus phaenomenorum, quibus scrupulosus afficitur. Stigmata scrupulosi, tamquam phaenomenon fundamentale et proprium status scrupulosi. Hujus studii difficultas. Horum phaenomenorum classificatio.
2. *Sensus incompletionis* (*I sentimenti di incompletezza*). — Eorum natura et characteres. — *a*) Sensus incompletionis quoad actionem. Sensus difficultatis, ineptitudinis, haesitationis, molestiae, etc. — *b*) Sensus incompletionis quoad operationes mentales. Sensus difficultatis quoad operationes mentales, perceptionis imperfectae, amissionis sensus temporis, dubii, etc. — *c*) Sensus incompletionis quoad emotiones. Sensus indifferentiae, inquietudinis, necessitas excitationis, ambitio, etc. — *d*) Sensus incompletionis quoad perceptionem personalem. Sensus extraneitatis propriae personalitatis, duplicis personalitatis, (*di sdoppiamento*) amissionis personalitatis (*di spersonalizzazione*), etc.
3. *Insufficientiae psychicae.* — Earum characteres generales. Natura insufficientiae psychicae. Earum varietates. — *a*) Insufficientiae voluntatis : Indolentia, animi fluctuactio, lentitudo actuum, retardatio actionum, debilitas conatuum, labor, absentia oppositionis, abuliae, inhibitiones, inertiae. — *b*) Alterationes intelligentiae, emotionum, et sensuum. — Amnesiae, deficientia intelligentiae, perturbationes attentionis, species inanes mentis (*rêverie*), eclipses mentales. — Sensus melancholici, emotivitates, emotiones sublimes, necessitas directionis, excitationis ad amandum et ut quis ametur, timor solitudinis, necessitas auctoritatis.

4. *Characteres generales status psychici scrupulosi.* — *a*) De incompletione morali (*la incompletezza morale*). Amissio *functionis realitatis.*
5. *Insufficientiae physiologicae status scrupulosi.* — Earum natura et characteres generales. — *a*) Insufficientiae systematis nervei. — *b*) Insufficientiae functionum digerentium seu digestivarum. — *c*) Insufficientiae circulationis.
6. *Conclusiones.* — Relatio insufficientiarum inter se, et cum aliis phaenomenis.

§ 1. — Introductio.

Nonnulli auctores tuiti sunt, phaenomena hactenus descripta: *obsessiones*, *manias*, *dubia*, *τὰ tics*, *angores*, etc., haberi posse, integra quoque remanente conscientia; et nonnulli eo pervenerunt ut affirmarent plene etiam libertatem servari. Sed dubitandum est, an possint hujusmodi phaenomena diu occupare mentem normalem et sanam, ideoque aptam ad repellenda tam absurda dubia tantasque ridiculas manias. Aequum igitur est, cogitare hujusmodi phaenomena inhaerere in mentibus, quarum operationes jam alteratae sint, ideoque iisdem phaenomenis primum praebere aditum, psychicas alterationes. Hanc opinionem sequuti sunt Janet, Pitres, Régis, Sollier, eamque omnes receperunt, qui postea scrupulosorum symptomatologiae studuere. Praeterea recepta quoque est denomiminatio: « *stigmata psychastenica* », idest, signa propria cuiusdam specialis morbi, quibusque correspondet status scrupulosus: *psychastenia.*

Hae alterationes nuncupatae sunt stigmata ob analogiam cum stigmatibus, quibus hysterici afficiuntur. Atque, etsi varias ob rationes haud facile sit hujusmodi studere stigmatibus, convenit tamen et nos consectaria horum studiorum paucis perstringere.

Hae alterationes duos obtinent modos. Quaedam exhibentur, tamquam alterationes subiectivae sub forma

sensuum, quos subiectum percipit, exprimit, ac plus minusve recte describit. Accedit ad hunc primum stigmatum ordinem, alter ordo, quem praebent verae alterationes status psychici scrupulosi. Hae sunt *insufficientiae psychicae* (1).

---

(1) In hanc rem, considerationem maximi momenti intendit Janet, quam integram referre mihi videtur opportunum, propterea quod juvat ut jam nunc ostendatur horum symptomatum colligatio, quam quidem sequenti capite accuratius perpendemus.

Scribit Janet: « Mala fortuna, studium horum stigmatum psycastenicorum difficilius quoque evadit, quam studium stigmatum hystericorum. Neminem fugit, quam praebeat difficultatem in studendo hystericis, eorundem *suggestibilitas*. Semper est difficile, maxime si quis experimenta agere velit, cognoscere quid sit perturbatio psychica fundamentalis, quidque suggestio addiderit. Hic autem, obsessiones et maniae mentales subiectorum, etiam graviores afferunt difficultates, quam quas in studendo hystericis nanciscimur. Multi ex his aegrotis censent suas facultates, reapse aegrotare, sive ob obsessiones contemptus sui ipsius, sive ob obsessiones ipochondriacas. Quomodo ergo credenda sunt ea, quae de seipsis dicunt?.... Verum si examinetur potius eorum modus vivendi in determinatis casibus, quam subiectum interrogetur, perspiciemus, magnum actuum numerum a mentalibus maniis obsessionibusque contineri, et impediri, quominus perficiantur. At minime credendum est propter hoc, imparem esse aegrotum ad certum actum perficiendum. Aliter equidem! (Nosque jam vidimus causâ variorum casuum, aegrotum prorsus voluntate carere eam conficiendi rem, circa quam phobiâ afficitur).

Haec duplex difficultas, perpetuas valet suppeditare obiectiones contra omnes qui scrupulosorum stigmatibus describendis vacant; equidem semper in promptu responsum erit, talem alterationem perceptionis aut voluntatis a quavis idea produci, a mania, a *τὸ tic,* ab angore, qui actum continuit tum, cum in eum ego animum intendebam.

Attamen hujusmodi stigmata existere certum est, atque certo extant perturbationes functionis mentalis, quae logice et chronologice, ideas fixas maniasque antecedunt. Quamobrem, licet me non fugiat quantis scateat difficultatibus et periculis, nihilominus mihi necesse videtur hanc periclitandam esse inquisitionem, praecautionibus quam plurimis adhibitis. Primum, exceptis rarissimis casibus, experimenta prorsus impossibilia non videntur. His vero

Appendicis ad instar studere praestabit alterationibus functionum physiologicarum, seu insufficientiis physiologicis, quae has psychicas alterationes comitantur. Conclusio erit de characteribus fundamentalibus status psychastenici describendis.

Idque viam sternet ad theoriam componendam, quae inserviat ad explicanda colligationem ortumque et subsequentem evolutionem phaenomenorum, quae scrupulosus exhibet; itaque rationalis harum perturbationum cura, initia inchoabit.

§ 2. — Sensus incompletionis.

Initium sumimus a studio alterationum psychicarum quas scrupulosus ipse exprimit. Id juvabit ut scrupulosus talis ostendatur, qualem ipse seipsum depingit. Haec subiectiva phaenomena in unum ordinem collegit Janet, quem nuncupavit: *sensus incompletionis, (sentimenti d'incompletezza).*

Vocabulum: *incompletezza*, ipse ait, barbara vox est, neologismus, quod ut recipiatur rogo, cum aptius vocabulum deficiat, quodque vere designat factum essentiale, quod omnes scrupulosi lamentantur: characterem nempe imperfectum, non sufficientem, incompletum, quem ipsi tribuunt suorum cuique psychicorum phaenomenorum. Hi sensus, quos subiectum experitur, ita prosequitur idem auctor, ob suas mentales opera-

---

experimentis gravi est defectui ad se trahere subiecti attentionem, hasque omnes provocare cogitationes et has coactas operationes, quae scilicet timentur.... Tamen hae perturbationes tanti sunt momenti ut deceat quemlibet conatum experiri ad difficultates superandas. (Janet, *Obses s. et Psych.;* Vol. II, pag. 267-268).

tiones, admodum diversi et varii sunt atque continuo, minimis sub influxibus, modificantur (1).

a) Sensus incompletionis quoad actionem voluntariam. Primus quidam ordo hujuscemodi sensuum, oritur causâ cuiusdam actionis. Electio, necessitas sese determinandi ad aliquid agendum, etiam si hoc non sit obiectum suarum obsessionum, saepe saepius eos exterret aegrotos cruciatque. « Nihil, tantam mihi affert formidinem, quam necessitas aliquid eligendi, necessitas me determinandi ad aliquid faciendum » ita unus ex his. Vel futilissima electio ipsis difficultati est. Etiam incoeptis, immo vel etiam actibus statutis confectis, eos occupat hic sensus *incompletionis.* Ac si etiam renuant eligere, suamque electionem relinquant casui aut alienae voluntati, eos, iidem sensus occupant. Ita ut, si de suis interrogentur decisionibus, eas putant vagas, incompletas, non sinceras, haesitantes.

Typicus est casus, quem egomet observavi. Juvenis sacerdos officium recitabat. Ejus recitatio correcta, pia, attenta erat. Nihil obiici ipsi poterat; verum longe aliter, ipse existimabat. Nunquam tali recitatione contentus erat, ac etiamsi dicere, qua in re male suam adimpleret recitationem, haud sciret, nihilominus sentire aiebat illud non recitasse satis attente, non satis lente, etc.

Eadem res in omnibus scrupulosis inspicitur, quibus omnes actus praebent occasionem multitudinis sensuum abnormium, qui uno verbo perstringi possunt.

---

(1) « Mihi videor, scribit unus ex his aegrotis, vitam in continuato statu incompletionis transigere ». Et alter : « Impar ad omnia sum; ego nihil volo, ego nihil sum, ego nihil scio, nihil ego possum ». Et alius: « Ego vitam transigo in continuato statu impotentiae; non modo capax non sum ad exitum quamcumque rem adducendi, sed ne unam quidem cogitationem ». Et hujuscemodi testificationes colligere haud difficile esset. Quilibet confessarius magnum referre valet numerum.

Subiectum persentit, actionem male esse peractam, non complete esse peractam, aliqua re carere. Interdum, hic *sensus incompletionis*, characterem eminenter moralem sortitur. Inde sequitur, quod executio eos non contentos relinquit. Iis, sua actio videtur non sufficiens, non completa, ac consequenter in eorum animo oritur, quidam pudoris sensus, quaedam consternatio, quaedam necessitas et pavor reincipiendi, quaedam sensatio impotentiae, imperfectionis, fastidii sui ipsius. Sane igitur animadvertit Emyeu (1), eos generatim pro nihilo se putare, eosque sinceros esse cum scribunt: « Male ago quod ago.... Quod vobis scribo, discrepantiis abundat.... Ego eloqui nescio, ego taedio afficior, mihi et aliis pietati sum.... Praeclare equidem persentio a vobis non posse amplius tolerari, fierique non posse, quin ego despiciar. » Idemque auctor meminit casus cujusdam puellae, quae haec omnibus ferebat actibus : « Nonne verum est vos nunquam ullam nactos esse personam similem mihi? Nonne verum est minime esse meae aetatis hunc modum cogitandi, hunc modum tam insulse agendi? Nonne verum est detestabile esse tam parva praeditam esse virtute »? Atque hoc phaenomenon pluris est momenti, cum hic sensus incompletionis characterem moralem consequitur. Notandum est ipsum oriri posse propter quoscumque actus, etiam inutilissimos et levissimae futilitatis.

Haec phaenomena (2) plures exhibere possunt varietates, quarum praecipuas exponam. Sic habentur

---

(1) Op. cit., pag. 91.

(2) Investigationes circa haec phaenomena in lucem protulerunt quanti sint momenti phaenomena, quae actum voluntarium comitantur, illustrata ex inquisitionibus Höffding (*Esquisse d'une psychologie basée sur l'experience,* trad. franc. pag. 428), quae tamen tantum studia experimentalia Ach, Michotte et Barret illustrare potuerunt; idest conatum voluntarium connecti cum sensibus, qui maximi sunt momenti, sicut sensus conatus *(il sen-*

sensus difficultatis. Hi respiciunt actus qui complendi sunt. Personae quae iis afficiuntur, antequam actum compleant, molestissimos experiuntur sensus, cogitatione rei, ab ipsis agendae. Ipsi actionem, ante omnia metuunt. Eorum somnium, ut ipsi aiunt, quaedam esset consuetudo vitae, in qua nihil amplius faciendum foret. « Rem admodum difficilem, ego vellem, quidam aegrotus dicebat, i. e. ut una tantum vice facerem omnes, meae vitae actiones, ita ut nihil aliud amplius faciendo, reliquam integram aetatem traducerem ».

Affinis varietas est *sensus ineptitudinis (il sentimento d'incapacità).* Iis in casibus aegroti, quodam sensu debilitatis afficiuntur, ita ut timeant ne ipsis aliquid faciendum sit.

Alias agitur de quodam *sensu haesitationis (sentimento d'indecisione).* scil. deficit unus ex fundamentalibus characteribus actus volontarii, nempe *sensus deliberationis (sentimento di risoluzione).* Antequam actum incipiamus, eum recognoscimus et percipimus tamquam nostrae ipsorum personae participem. Ut ita dicam eum praevenimus, et tamquam actum completum consideramus, dum is nihil aliud est nisi mera possibilitas. Omnes ii sensus non reperiuntur in scrupulosis. « Ego, ait unus ex iis, decernere quid agam non possum, nec inire consilium scio ». Et alter aiebat: « Si theoretice, multa fruor voluntate, practice, nimis debilis nimisque lassus sum ut eâdem utar.

Inde sequitur, has personas semper desiderio teneri quod quispiam pro ipsis consilium capiat, quod Deus

---

timento di sforzo) sensus deliberationis, etc. ; quos sensus, in casibus quibus hic studemus, alteratos invenimus. Qui velit de his sensibus studium regularem perficere, conferat: GEMELLI: *Lo studio della volontà e del pensiero*, in « Rivista di Filosofia Neo-Scolastica 1911, n. 6 », ubi conclusiones studiorum Ach, Michotte, Barret, etc., de hac re critice examinantur.

ipse interveniat ad deliberandum pro ipsis. Exinde explicatur, quomodo ipsi ad pacta, ad obsecrationes, ad vota, etc. recurrant.

Sensus incompletionis potest manifestari ex quodam sensu molestiae in ipsa actione. « Oh! qua molestia afficior per totam meam vitam, quoties aliquid faciendum curo! »; aiebat unus ex his aegrotis.

Alias e contra deficit sensus personalitatis, qui actionem comitatur, quique efficit ut sentiamus actionem a nobis ipsis compleri. Hoc in casu producitur quidam sensus *automatismi*. Quidam aegrotus apud Ball, sane bene hunc sensum describebat: « In hoc atroci statu, oportet ut agam, quin rationem sciam. Aliquid, quod in me non situm esse videtur, me pellit, ut agere pergam, sed ego me certiorem facere nequeo, me reapse agere; machinae instar moveor, resque omnis in me, absque conscientia, perficitur.

Major gradus in hujusmodi absentia personalis actionis automatismi tum habetur, cum aegroti affirmant aliquid exterius esse quod ipsos gravat, quodque suos actus determinat: *sensus dominationis*, cujus causa, ipsi sibi videntur, sua deficiente voluntate, ope alterius voluntatis agere.

Alias scrupulosus non est contentus de suo modo agendi: *sensus molestiae* (*sentimento di malcontento*). Quod est omnino contrarium ac quod habetur quoad individua normalia, quae in qualibet actione aliquid gaudii percipiunt, quod magis magisque in actibus creationis augescit. Ex contrario, aegroti nostri aiunt: « Mihi ipsi displiceo, neque mihi quod ago, satisfacit, quia res statim agere capax non sum, sed tantum post multas vacillationes. Quoties mihi aliquid faciendum est, oportet ut ab initio rem repetam; quod me angit vehementer ». Atque prope hunc molestiae sensum accedit, tamquam varietas, *sensus humilitatis, pudoris*.

« Homo ad rem nullam utilis sum....; ah! tristis est haec rerum conditio, quâ videmur ludibrio esse omnibus, et tanquam imbecilles existimamur ».

Denique commemorandi sunt *sensus timiditatis* et *rebellionis*, qui actiones comitari possunt.

Omnes autem hi sensus, non sunt considerandi seorsum; ad invicem equidem connectuntur; omnes, sensum fundamentalem continent, i. e. sensum incompletam esse actionem, quam subiectum complet. Ac profecto ad hunc designandum sensum Janet novum vocabulum : *incompletio (incompletezza)* invenit.

b) Sensus incompletionis quoad operationes intellectuales.

Idem sensus qui ab actione excitantur, etiam ab intellectuali activitate determinantur.

Scrupulosus se sentit ineptum ad aliquid cogitandum; proindeque saepius talia profert verba: « Pro certo habe, me numquam eo pervenire ut tanquam mente captus delirem. Capax ego non sum aliquid cogitandi, ne levissimum quidem ». Et, quadantenus, verum, hic aegrotus, dicit. Scrupulosi, singularem et proprium exhibent sensum difficultatis, qui causâ cujusvis intellectualis operationis enascitur. Eorum animus, qui tum fervet cum idea obsessiva eum agitat, ita ut ruminationes et maniae continuata fuga prorumpant, incapax est — saltem uti ipsi aiunt — cujusvis aliius laboris, in qualibet alia occasione.

Ii exigunt, se amplius non posse vim intellectivam exercere ob difficultates, quas praebet necnon ob tantos, quos gignit, dolores. Atque minutim describunt dolores capitis, quibus laborant, cum ipsis, vis intellectiva exercenda est.

Phaenomenon initiale est *ineptitudo ad attentionem figendam (incapacità di fissare l'attenzione);* se esse incapaces eam figendi, eamque non pervenire ad unita-

tem, sentiunt. « Antequam aegrotarem, unus ex his aegrotis aiebat, capax eram extraordinariae associationis sine distractionibus; sed nunc hic conatus est mihi molestiae. Attentio est inconstans; illico me capit, oblivio praecedentium, nullumque ratiocinium prosequi possum ». Et alias, idem aegrotus aiebat: « Cum scholas frequentabam, quietum facilemque ducebam laborem; neque mihi studenti, ullum efferebant fastidium vivissimi rumores, ne praesentium quidem colloquia.....; sed nunc prorsus aliter res se habet; quia attentionem ex animo amitto, neque eam alere possum, quin enormem conatum voluntatis peragam, necnon firmam spiritus tensionem, quae meas penitus infrangit vires ».

Varietatem huius sensus difficultatis affert *sensus instabilitatis*. Aegrotus, singulis momentis, sentit se relinquere rem, quam antea cogitabat. Ita unus ex aegrotis aiebat: « Aliquam ideam tantum per sexagesimam horae partem in mente retineo, vix per horae ter millesimam et sexcentesimam partem, ad summum eamdem rem (et in eodem modo) cogitare possum per bis horae ter millesimam et sexcentesimam partem ».

Idque ipsi, cuidam tribuunt debilitati, quam se experiri affirmant. Aliaque ejusdem debilitatis consequentia, est *sensus perceptionis incompletae*, quem ipsi exprimunt, cuius causâ queruntur, quod alterationes experiantur in perceptione obiectorum exteriorum.

Hic sensus varie exhibetur. Modo, agitur de quadam affectione male recipiendi, incomplete percipiendi. Itaque aegroti nostri dicunt: « Idem est ac si ego omnia viderem per velum, per nebulam, per nubem; idem est ac si ego per murum audirem, qui me a realitate separat ». Modo, obiecta jam visa vel extranea videntur; modo adest duplicitas vel amissio directionis personalitatis aegroti.

Ingravescente morbo, scrupulosi non solum sentiunt suas perceptiones malas esse, insufficientes, abnormes; sed etiam sentiunt suam psychicam operationem, ne am-

plius quidem esse obiecti exterioris perceptionem, at aliam operationem, cogitationem quandam plus minusve imaginariam.

Hic est *sensus cogitationis imaginariae (sentimento di concezione immaginaria).*

Ita scrupulosi, perceptionem eventuum quoad spatium, amittunt. Sed possunt etiam amittere perceptionem eventuum quoad tempus: *sensus amissionis temporis.* Sic hi aegroti, cum loquuntur de conditione valetudinis, quae praesentem conditionem scrupulorum praecessit, retro admodum eam repellunt. Ex. g., quidam aegrotus apud Krishaber aiebat: « Mihi videbar procul ex hoc mundo transferri atque machinae instar haec verba alta voce proferre: absum longe, longe, longe..... Certo sciebam me minime abesse, sed mihi videbar enorme interesse tempus inter momentum, in quo valebam et illud, in quo primis afficiebar scrupulis ». Et alter aegrotus: « Quot saecula sunt, ex quo mea pertransiit juventus, cum ego hac non afficiebar crisi ». Sunt aegroti, qui sensum *praesentis temporis* amittunt ac una cum eo consequenter et sensum temporis. Ita quidam scrupulosus dicebat. « Heri, hodie, cras, idem apud me sunt; magnum in vacuum immergi videor ». Modificationes attentionis, non solum praecedentes sensus relate ad perceptionem exteriorem determinant; sed etiam sensus ejusdem generis determinant relate ad omnes operationes spiritus, ad omnes cogitationes, ad omnes ideas. Recordationes et ideae apud scrupulosos, eundem habent falsum characterem rerum exteriorum. « Mea vita peracta, ait quaedam aegrota apud Janet, alterius esse mundi non existentis mihi videtur; id omne ita a me tam procul abest....; meas ideas recte explicare haud scio...; enitor ut claram quandam ideam habeam...; opus est parvam aperire januam quae in meo capite extat; clara idea post illam januam adest; sed illuc pervenire non possum ».

Ita *realitas*, male mente comprehensa, et male ab eorum mentali apparatu repraesentata, ipsis, per has vagas ideas, vix recognosci posse videtur, necnon quacumque expressione carens, obscura, procul abesse. Pluries, ipsi sibi videntur veluti in somnio ducere vitam, nova quaedam res ipsis videtur se eam jam vidisse tempore remoto, quod praefinire nesciunt.

Ultima consequentia hujus animi status, est sensus, qui notior est inter eos, quos hi aegroti exhibent, scil. *sensus dubii*. Nimirum dubium enascitur, quia ipsi eâ visionis claritate carent, ea *realitatis* possessione, ex qua certitudo gignitur.

Itaque, hi aegroti dubitant, cum res inchoant, quae evidenter obscurissimae sunt, quasque ipsi minus mente comprehendunt; at morbus paullatim ingravescit, ac dubium etiam res respicit, quae ordinarie facilius fidem habent. Deinde dubium, eos afficit, praesertim circa ea, quae ipsis credibiliora videntur; denique totam eorum vitam venenat, nullaque res est, quae extra id dubium esse valeat.

Et quidam aegrotus, apud Janet, sane bene haec omnia exprimebat, aiens: « De rebus omnibus dubito; de Deo, de me ipso, deque aliis; de personis, deque rebus. Vita mea, est haec continuata et perpetua interrogatio : *quis scit?* »

His dubii sensibus, correspondent sensus exanimationis, suspicionum, diffidentiae. Scrupulosus numquam certum scit; de omnibus diffidit; metuit ne decipiatur; quam plurimis utitur praecautionibus.

Omnes hujusmodi sensus relate ad functiones intellectuales, analogiam habent cum iis, quos inspeximus, relate ad actionem voluntariam.

Sunt quidam sensus incompletionis: « Nihil timeas, aiebat aegrota quam superius memoravimus; numquam ad amentiam completa perveniam, incapax sum cogitandi complete, etsi res sit parva vel levissima ».

Convenit igitur his quoque sensibus idem tribuere nomen, quod classificationi praecedenti tribuimus eosque propterea considerare tamquam sensus incompletionis.

c) Sensus incompletionis quoad emotiones. Hic idem sensus incompletionis et impotentiae quoad hos aegrotos, in emotionibus gignitur. Ipsi scilicet quandam suarum emotionum molestiam experiuntur; sua emotio iis contineri videtur antequam completa fiat eaque speciem accipere ruminationum mentalium, τῶν *tics*, angorum. Quaedam aegrota, apud Janet, dicebat: « Nullam emotionem aut sensum ad exitum adducere valeo; id mihi scrupulos parit ».

Et scupulosus quidam, quem Esquirol memorat, aiebat: « Mea vita incompleta est; functiones actusque vitae ordinariae mihi supersunt, sed quisque actus aliqua caret re, idest sensatione, quae iisdem inhaeret, letitiâque quae inde profisciscitur. Quisque meorum sensuum, quaeque mei ipsius pars seorsum a me est, uti ita dicam, neque amplius valet mihi ullum parere sensum ».

Et ante omnia laetitia deficit. Quidam aegrotus apud Emyeu aiebat: « Semper aliquid acris, molestii adest vel in gaudiis meis ». Quod significat, idem auctor scribit, si recte intellexi quid haec verba exprimunt, hujus scrupulosi gaudia semper deceptioni esse, quoniam numquam exitum arripiunt; animum nihil contentum relinquunt, non solum procul iis laetis somniis, quae quisque homo videt, quaeque nemo reapse attingere potest, sed etiam iis procul gaudiis, quibus quisque homo fruitur. At ne dolores quidem afflictionesque consequi exitum valent. Scrupulosi queruntur quod ne pati quidem sciant, tumque *atonia* vitaeque taedium incurrit.

« Mihi omnia videntur, ait unus ex his infelicibus, me indifferentem frigidumque relinquere....; vellem me possem ad desperationem adducere, propter dolorem inclamare....; non amplius, laetitiis doloribusque fruor; lae-

titia discessit, item et dolores discesserunt. Funeribus mei avi adsum, et ne una quidem doloris crise afficior. Spissitas quaedam me circumdat, quae impedit quominus affectiones morales percipiam quaeque impedit quominus vel dolores ipsos experiar ».

Nec dissimilibus utebatur verbis, quaedam aegrota apud Janet: « Consistunt meae emotiones; non se evolvunt, evanescunt, neque ad me usque perveniunt... Raro fit ut ego ridere possim, ac, si rideo, vix labia, meus risus attingit. Procul a me abest tum gaudium tum dolor; quod me magis angit est quia non amplius cor gero... Interdum ipsum resilit, sed statim ad quietem recidit.... Vos credere non vultis quod ego cor non geram.... At reapse omnia mihi sunt aequaliter indifferentia.... Ne consanescere quidem ego cupio... Utinam pati possem, aliqua re angi, admodum pati.... Haec tranquillitas, haec quies, en quod me infringit.... ».

Una cum hujusmodi sensu, alius describendus est magni ponderis quoad scrupulosum, nimirum *sensus inquietudinis.*

Hi aegroti fere omnes quandam experiuntur inquietudinem. « Inquietus sum ». Voxestquae frequenter in ore et sermone omnium scrupulosorum est. « Spiritus meus continenter inquietus, tamquam mihi semper aliquid accidendum foret ». Denique, ait alia aegrota quam Janet memorat, ego non tam scrupulis quam inquietudine afficior. Non mihi, non Deo, nulli rei confido; pacem non habeo; mira mea est contentio ut hanc pacem obtineam, et anima mea semper inquietudine torquetur. Timeo meos sensus, meas actiones, timeo meas ideas, meum cerebrum timeo, cujus amplius compos non sum; omnia denique timeo et nescio quid timeam, ac tandem ne utrum quidem timeam scio.

Mea inquietudo, extrema persequitur, tamquam si assidue quempiam exspectarem amicum, periculum obeuntem, et ne quisnam quidem sit scio.

Praeterea notandum est quod, etsi *timor* ab aegrotis, haec inquietudo nuncupetur, tamen timor non est, quia magis vaga et implexa est, cum consequatur ex quadam aegroti *superexcitatione* et, ex quodam sensu, instabilem nempe esse statum, in quo aegrotus invenitur.

Haec inquietudo est sensus omnibus aegrotis communis, quique profecto obsessiones antecedit, quibuscum aegrotus eam justificare conatur. Est forma implexa, quam accipiunt nonnulli *incompletionis* sensus.

Ut scrupulosi hujus inquietudinis finem facere possint, instinctu aliquid postulant quod suos *insufficientes sensus* longius impellat, eosque excitet. Ipsi sentiunt necessitatem « ineptiarum agendarum » ad se excitandos. « Quibusdam in momentis aliquid mali facere cupio, ait, prouti Emyeu refert, quaedam juvenis mulier, quâ nulla invenitur timidior dulciorque. Frangere obiecta cupio, opus complere, quod me bestiis exaequet; me caedere.... » Nonnulli aegroti poscunt hanc excitationem ad morfinam, ad alcool.

Inquietudo, partem quoque activam continet, ac ad conatus peragendos excitat.

Haec observatio, ait Janet, ex eo manifestatur quod sensus extat, quem in ambitiosis scrupulosis numquam reperire putares: *ambitio*. Hi aegroti de rebus peractis non sunt contenti, perfectionem cupiunt.

Itaque quaedam aegrota mulier apud Janet, cum nunquam sit contenta de modo, quo instrumentum, vulgo *piano*, pulsat, quibusdam ambitionis sensibus afficitur, propter quos arte musica longe valere, quinimo se unam omnium celeberrimam esse cuperet. « Mea ambitio, ipsa ait, non habet limites ».

Sane hi abnormes sensus, sunt praeparatio phaenomenorum admodum gravium ac praeparatio cujusdam delirii magnitudinis, verbi gratia, sicut quoad aegrotum, quem idem auctor descripsit, qui aiebat: « Ego omnium,

rerum ambitione afficior..... Id me omnium anxium facit. Utinam similis essem iis, qui in hoc curru consistunt, huic venustae mulieri...; cumulari maximo gaudio fortunâque vellem, et forte ne hoc quidem, me expleret ».

Hi omnes *sensus incompletionis* quoad emotiones, analogiam habent cum iis, quos perspeximus quoad actionem et intelligentiam, nomenque *incompletionis* merentur.

d) Sensus incompletionis quoad perceptionem personalem. Consideranti quomodo hic sensus incompletionis quibusdam in casibus, totam involvat vitam scrupulosi, haud difficile erit intelligere quomodo, his in casibus, sensibus incompletionis, quos jam descripsimus, alius addatur sensus qui est veluti coronis et complementum; hujuscemodi sensui Dugas nomen dedit *amissionis personalitatis (sentimento di spersonalizzazione).* Scilicet *sensus incompletionis* quoad *perceptionem personalitatis*, qui diversos gradus et formas comprehendit.

Nullus forte invenitur confessarius qui hujusmodi elocutiones non audierit: « Ego quodam modo ago qui mihi ipsi extraneus est; tamquam si quis esset qui extra me viveret. ».

Quidam aegrotus, quem Krishaber memorat, aiebat. « Tempore primarum affectionum, ego mihi videbar non amplius in hoc mundo esse; non amplius existere... Afficiebar sensu quod alius ego ipse essem, mihi videbar non existere. Meum caput tangebam; mea membra sentiebam. Attamen mihi magna voluntatis vis opus erat, ut mihi persuaderi possit me existere ».

Ac alter aegrotus, apud Janet, dicebat: « Numquid ego sum? ubi sum? quid factus sum? numquid ego sum, qui comedo? qui dormio? Ego me haec omnia facere non aspicio...; aliquid est, quod me deficit.... ».

Hanc personalitatis perturbationem interpetrari debemus velut primigenam psychologicam alterationem, quae insufficientiam perceptionis personalis revelat. Ea, varios obtinet gradus et formas. In primordialibus formis tantum fere agitur de eo, quod sint propriae personalitati extranei ; ulterius habetur duplicitas personalitatis.

Hoc phaenomenon circa personalitatis duplicitatem, satis frequens est. Scrupulosi equidem aiunt. « In me inest duplex personalitas; alia bene ratiocinatur, alia male; alia absurditatem quorundam dubiorum percipit, alia relinquendi dubia capax non est », etc.

Extremis in casibus amissio completa personalitatis habetur. Typicus est aegrotus qui de seipso dicebat: « Ego non amplius vitam intelligo ; nec mundum, neque meipsum; eo perveni, ut conscientiam meae ipsius personalitatis perdiderim. Ego mihi videor tantum materialiter vivere, meaque anima mihi videtur a meo corpore separata esse. Imo eo pervenio, ut meipsum interrogem utrum aliquo modo ego existam. Mihi videor non amplius esse super hac terra.... Si qua mihi superest vita, haec in altero mundo est.... Cum his sensibus afficior, necesse est ut mei parentes me demulceant, ut mihi demonstrent me revera unum suorum esse ».

Hi sensus, pluribus de causis, connumerari debent inter sensus incompletionis.

Id quod est proprium *sensus amissionis personalitatis*, veluti praecedentium sensuum, est quod subiectum sentiat perceptionem suae ipsius personae incompletae. « Ego pervenire non possum ad unitatem meae personae » ipsi inquiunt. Porro, ipsi reapse sciunt suam personalitatem non esse duplicatam neque se esse mortuos, uti inquiunt, ac, non obstantibus verbis exaggeratis prolatis, se non affici quodam positivo sensu multiplicitatis suae personae vel suae ipsius mortis. Quod ipsi reapse habent est negativus sensus non habendi unitatem suae personae, non satis vivendi. Hoc eis dicendum esset,

et reapse ad hoc recognoscendum reliqui aegroti veniunt, si parumper eos flagites: « Ego satis non sentio *realitatem* meae ipsius personae ». Idemque ipsi metaphorice significant, cum dicunt: « Ego mortuus sum, sentio me non amplius eundem esse ». Quin rationem percipiant absurditatis harum elocutionum.

Igitur hic sensus qui in hoc exaggerato sermone inest, idem est ac quem vidimus quoad actionem, quoad intelligentiam ac quoad emotiones, scil. sensus perpetuus incompletionis. Hic ergo *sensus amissionis personalitatis* adscribi debet in numero sensuum, quos in hac paragrapho descripsimus.

Tales sunt *sensus incompletionis*. Ipsi ob oculos ponunt scrupulosos tales, quales ipsi seipsos depingunt atque tales, quales seipsos describunt quoties ad confessarium recurrunt. In cogitationibus, in actionibus, in sensibus eorum, quidam inest sensus incompletionis, incongruentiae, impotentiae, ita ut veniant ad amittendum sensum propriae personalitatis.

Sed hujusmodi subiectivi characteres suntne *reales?* Suntne reapse tam subversae credendae eorum psychicae vires? Respondetne veritati, tristis descriptio, quam de seipsis narrant? An fallaces sunt hi subiectivi characteres? Ut huic respondeamus interrogationi, studeamus necesse est characteribus obiectivis status psychici scrupulosi. Quod in sequentibus paragraphis faciendum curabimus.

§ 3. — Insufficientiae psychicae.

Sensus, quos scrupulosi describunt, quibusque se perturbari dicunt, quosque nos in praecedenti paragrapho examinavimus, correspondent ne quibusdam realibus alterationibus functionum psychicarum, quarum veritatem nos explorare possimus modo diverso, quam

habetur in studendo iis sensibus, quorum subiectum sibi conscium est? Ut huic respondeatur interrogationi, convenit accuratum perficere studium circa reales insufficientias psychicas scrupulosi; quod studium, uti Janet observat (1), admodum difficile est; methodi enim inquisitionis, quibus utimur, satis sunt rudimentales, ac multoties nos committamus oportet iis denotationibus, quae ex observatione profluunt.

Primo aspectu, cum querelas nostrorum aegrotorum percipimus, quae deberent eorum personalitatis alterationem significare, vehimur, ut credamus reapse in his aegrotis inesse veras coartactiones personalitatis, prouti habetur in hystericis. Sed, si ultra in examine procedimus, ipsis deesse videbimus anaesthesias, motus inconscientes, eosque minime praebere statum *somnambulismi* sive naturalis sive artificialis (somnum i. e. hypnoticum); quae phaenomena typica sunt in hystericis; insuper constat eos non esse, prouti sunt hysterici, capaces suggestionis. Denique ipsis deest quidam symptomatum complexus, qui in hystericis una cum amissione personalitatis coniungitur; ex quo vehimur, ut agnoscamus, scrupulosos plurimum exaggerare, saltem, cum suos *sensus incompletionis* describunt, ex quibus perducuntur ad hanc praesumptam amissionem personalitatis. Cum ipsi tam male de suis aptitudinibus sentiant, cum suae actiones ipsis insufficientes videantur, cum sua voluntas ipsis aegra et insufficiens videatur, cum se non putent emotionum capaces, cum denique eo se pervenisse censeant, ut credant se a vita relinqui sibique ipsis mortuos esse, longe aliter res se habent.

Quilibet confessarius valet hanc peragere observationem. Is enim, si verbis scrupulosi non acquieverit, at ultra procedere necnon videre voluerit utrum preces scrupulosorum *reapse* male recitatae sint, uti ipsi di-

(1) *Op. cit.*, pag. 325.

cunt, utrum eorum actiones insufficientes et incompletae sint, uti eas ipsi describunt, utrum eorum sensus, eorum intelligentia, sint tam nihil necessitatibus adaequata, uti ipsi affirmant, perspicere potuerit injustum revera esse hunc modum male de se sentiendi.

Sane quidem scribit Emyeu (1), eorum vivendi rationem, extra eorum ideas obsidentes, ostendere eorum personalitatem integram existere, eamque cohaerentem ac ordinatam perseverare; neque raro contingit quod nemo ex his, qui illis utuntur, eorum aegritudinem perspiciat. Iis, qui illis utuntur, eorum sensus, saltem quoad medios gradus morbi, delicati et etiam generosi videntur. Eorum actus pluris admodum valent, quam ipsi putent. Epistulae, quas ad confessarios mittunt, minime obscurae et incomprehensibiles sunt, uti ipsi aiunt, at e contra clarissimae sunt ac observationes quam subtilissimas complectuntur; preces, quas renovare ipsis opus est, sunt reapse bonae et bene recitatae; literaria opera vel manuales, propter quae se humiliatos sentiunt, sunt reapse bene confecta. Eorum intelligentia, saltem quoad gradus medios morbi, integra est et frequenter vivax; eorum sensus integri.... Quaecumque denique activitates considerentur, nulla diminutio, nullaque psychica mala conformatio ostenditur (2).

---

(1) *Op. cit.*, pag. 106 e sq.

(2) De eorum intelligentia sane scribit Janet (*op. cit.*, p. 363 p. 604: « Ipsi (i. e. scrupulosi) saepenumero sunt personae intelligentes et delicatae; atque spiritus simplices vel idiotae, non sunt capaces hunc exhibere morbum. Multum temporis eorum familiaritate usus, persuasionem accepi eorum numerum superare mediam quantitatem intellectualem personarum normalium sine delectu sumptarum ». Notandum est Janet studuisse scrupulosis in aulis clinicis, ubi profecto nactus erit solum vel, saltem ut plurimum, casus extremos.

Quod ad me attinet, suam affirmationem confirmare possum. Quosdam equidem ego nactus sum poenitentes, qui reapse erant personae superiores. Difficultas eos dirigendi provenit scilicet ex

Attamen impossibile est quod homines intelligentes et normales, tam insuetos ac abnormes sensus experiantur, prouti ii sunt, quos scrupulosi exhibent, quin ullum adsit *realitatis* fundamentum.

Porro, ait Emyeu, (1), si hoc fundamentum non invenitur in modo *essendi* organismi, esse debet in eius modo *agendi*. Et quoniam, ex superius expositis vidimus, quod relate ad conscientiam neque diminutio neque insensibilitas habetur, necesse est ut, cum Janet conveniamus, non consistere morbum in quadam insufficienti actione *realitatis* super subiecto, sed admittamus necesse est quandam insufficientiam subiecti super *realitate* (2). Uno verbo, morbus est simpliciter functionalis. Facultates sunt intactae, sed male suas adimplent functiones; sunt insufficientes; et reapse, sicuti eas Janet vocat nomine, quod earum reassumit characteres, sunt *insufficientes*.

a) De alterationibus voluntatis. Exinde quod in scrupuloso non inveniuntur eaedem et speciales perturbationes, quae in hysterico comitantur descripta phaenomena, minime est concludendum omnes esse erroneos

---

hac eorum subtilitate sentiendi et intelligendi. E contra numquam nactus sum personas rudes vel modicâ intelligentiâ, quae scrupulis afficerentur. Quin imo, quibusdam in casibus, ipsi dotes singulares exhibebant, quibus capaces erant complendi labores sive intellectuales sive manuales prorsus singulares. Uti infra exponam (cap. III-IX), nos tali eorum superioritate uti possumus ut ipsi denuo illam adipiscantur fiduciam in seipsis, quam amiserant. Rursus scrupulosus quoad ea, in quibus non figit sua idea obsidens, est persona subtilis, intelligens, dulcis, quae efficit ut apud omnes aestimetur. Et hoc etiam, affert ei dolorem: « Omnes me existimant, me laudant, me esse felicem opinantur — mihi unus ex his dicebat — nec quisquam cogitat, quâ procella frangar, quae mihi pacem aufert, quaeque efficit ut ad omnia inhabilis sim, necnon integram meam venenat vitam ».

(1) *Op. cit.*, p. 107.

(2) *Op. cit.*, p. 438.

eorum *sensus incomplectionis*, necnon ipsos nullam pati alterationem, quae eorum sensus et praecipue eorum ideas fixas antecedat.

Hujusmodi alterationes praesertim habentur in activitate voluntaria, quae profunde in his aegrotis perturbatur, antequam eorum morbus dignoscatur, quaeque pluribus in casibus, uti multi docent auctores, ab infantia, morbo laborat.

Velle, ecce quaenam est magna difficultas apud scrupulosum. Omnia ab eo peti possunt, sed minime *ut velit*. Haec voluntatis insufficientia, variis ostenditur modis, quibus singillatim convenit studere. Imprimis fere omnes scrupulosi ab infantia quendam praebent characterem, qui facile admodum recognosci potest. Ipsi sunt molles, torpidi, pigri; familiae ipsae horum aegrotorum, hoc affirmant.

Sic, v. g., mater unius ex his, de eo loquebatur: « A teneris annis eum verberare necesse fuisset, non solum ad eum cogendum ut laboraret, sed etiam ut luderet; tam mollis erat! ». Ista generalis mollities sejungi potest in certum alterationum numerum, actioni anteriorum, quarum praecipua profecto est quaedam perpetua fluctuactio, quae eos torquet, quaeque manifestatur antequam dubii crises oriantur. Ista fluctuactio, diversissimis sub formis sese exhibet, tum causâ rerum futilissimarum, tum causâ rerum maximi momenti, ac longissimum tempus perseverat.

Quaedam aegrota decidere haud sciebat utrum conficere nuptias deberet an quoddam ingredi monasterio ad sanctitatem acquirendam. Singulis momentis videbatur, sibi deliberationem cepisse, at vero quaelibet minutissima ratio ei sufficiens erat ad suam suspendendam deliberationem atque ad id recusandum, quod jam deliberaverat.

Quidam aegrotus, de quo loquitur Raymond ad eum se confert cum epistola, ut hanc ei tradat. Tantum la-

boris passus est ad hanc epistulam scribendam, et nihilominus se ad Raymond confert, et epistulam abscondit, quia amplius non vult quod is illam aspiciat. Quarta horae parte transacta, ei dicit se illam scripsisse illamque monstrat; atque, statim ut illam tradidit, se in eum rejicit ad epistulam reposcendam (1). Hujuscemodi facta non raro quoad scrupulosos accidunt.

Quando autem actio decreta est, lente perficitur, idque vel antequam in nostris aegrotis compareant maniae aut ruminationes mentales, quae eorum contineant actus.

Neminem latet scrupulosorum lentitudo in actionibus perficiendis. Ii ad actionem quam futilissimam complendam multum temporis sumunt. Ac lentitudo multas eorum actionibus affert moras. Sane quidam aegrotus me alloquebatur: « Per integram meam vitam, numquam opportuno tempore adveni ». Atque lentitudo et retardatio ex eo consequitur quod ipsi in ultimum temporis momentum, deliberationem capiendam differunt, cum tempus urget; idque quia eos spes concitat fore ut cogantur ad agendum potius hoc quam illo modo, circumstantiis coacti, in spem scilicet adducti se posse deliberationem fugere. Singularis character, qui exinde consequitur, est absentia totalis notionis horae. Vae illi qui scrupulosos convenire debet! Nihil eorum interest utrum unius an etiam plurium horarum moram faciant.

Evidens est hos aegrotos magnâ debilitate morali affici; quod deducitur ex facto, quod ob quamlibet causam facere desinunt id quod decreverant. Sed, praeter moralem debilitatem, adest quoque vera debilitas physica, quae instrumentis verificari potest. Et, correlative, quilibet conatus moralis vel physicus eos debilitat, sensumque horribilem laboris producit.

Characteres praecedentes sunt relative leves; nunc ii enumerandi sunt, qui illis graviores evadunt; quique

(1) *Op. cit.*, vol. II, pag. 49, 261, 272.

habentur cum morbus ingravescit, et ordinarie manias obsessionesque comitantur. Dum scilicet actus ab initio male vel cum haesitatione conficiuntur, deinceps vero cessant vel omittuntur. Et praesertim abrogantur actus novi, qui specialem conatum requirunt ad abrumpendas habitudines « Id omne quod est novum, ait quidam scrupulosus, mihi timorem affert ». Post novos actus, facile et actus sociales abrogantur, ii videlicet qui complendi sunt coram quibusdam personis, vel ii qui, prouti ipsi cogitant, complectuntur repraesentationem quarundam personarum praesentium. Scrupulosus nempe est vir timidus. Sit hoc typicum exemplum. « Exceptis meae ipsius familiae membris, ita loquitur unus ex scrupulosis, admodum parvus est numerus personarum quae mihi molestiam non exhibeant. Coram plerisque hominibus, mihi impeditus videor. Capax non sum, exempli gratiâ, perficiendi simplicem *additionem*, si quis adsit. Obligor ut mentiar ad hanc tegendam impotentiam; et tunc praetextos quosdam excogito, v. g., haematiten abrumpo, peto scalprum ut, tandem possim meam *additionem* perficere procul ab oculis personarum ».

Ad determinandam hujusmodi inhibitionem, sufficit simplex cogitatio perficiendi aliquam actionem, quae per se facienda esset coram hominibus, uti esset, v. g., simulatio docendi in scholis.

Post has *abulias* sociales, facile adest difficultas vel *suppressio actionum professionalium*. Itaque pervenimus ad alterationes gravissimas, quas aegroti nostri exhibent, idest ad *completam suppressionem actus voluntarii* (quem subiectum completurum erat), quando crisis incepta evadit. Videtur, Sauteral inquiebat (1), subiectum frustra niti ad trasformandam ideam in actum, sua voluntas non esse sufficiens ad determinandum ad

(1) Contribution á l'étude des obsessiones, Bordeaux (Thèse) anno 1897, p. 98.

actum systema movens; conatus, quos, propter hoc, experitur, nullum alium sortiuntur effectum nisi ut augeant eius perturbationem, eiusque angorem.

Hujusmodi mora, nomine *abuliae* donatur, ad indicandam defectionem voluntatis, ac sub nomine inhibitionis designatur incapacitas, quam exhibet aegrotus ad complendum certum et determinatum actum. Hoc grave phaenomenon ob oculos obversatur una simul cum ruminatione mentali et cum angore.

Determinanda igitur est ejusdem relatio cum ruminatione et aliis agitationibus, necnon stabiliendum est utrum agatur de quadam consequentia harum agitationum, an de quodam phaenomeno primitivo. Gravis haec est quaestio, cui respondeamus oportet; quod inferius faciendum curabimus.

Hujusmodi suppressiones actuum, comitantur verae *crises laboris* insuperabiles, ita ut scrupulosus incapax fit determinatorum actuum complendorum, atque diuturnas consumit horas, quin possit difficultates superare.

Generatim hujusmodi crises parum temporis permanent; sed quibusdam in casibus gravioribus et magis progressis, habetur quaedam totalis inertia. Actus si evadat difficilis vel impossibilis, ratione cujusdam inhibitionis aut cujusdam crisis laboris, aegroti non amplius expectant; ipsi reminiscuntur difficultatis, quam quandoque experti sunt ad agendum; eam, imaginatione exaggerant, eoque perveniunt ut nihil aliud facere possint.

Unus ex his aegrotis aiebat: « Nulla res mihi amplius placet...; obiecta in manibus retineo quin aliquid faciam...; nulli rei me amplius applicare possum ». Et quo magis morbus producitur, eo magis ingravescit, et ita augetur haec singularis inertia, ut, tandem hi aegroti ne habiles quidem amplius sunt ad suum cubiculum relinquendum, nullumque alium conveniunt ac vitam solitariam degunt.

Tales sunt perturbationes voluntatis scrupulosorum. Eae constituunt stigmata magni momenti status psychici

scrupulosorum, et necessarium est illud prae oculis habere ut deinde, theoriâ comparatâ, rationes de hoc statu exponamus.

b) Alterationes intelligentiae, emotionum et sensuum.

Minoris momenti, et praesertim minoris singularitatis, sunt alterationes intelligentiae, emotionum, et sensuum.

Quoad intelligentiam jam notavimus scrupulosos enumerari inter personas intelligentes. Attamen eorum intelligentia non est completa; lacunae quaedam exstant, quae proveniunt ex amnesiis, i. e. ex oblivione recordationum (partiali ut totali); aliquando habetur veluti quaedam mora in eorum instructione; quae imprimis provenit ex amnesiis; talia phaenomena nihil singularitatis habent, sed satis frequenter contingunt. Talis oblivio potius proxima quam remota facta respicit. Habetur etiam quaedam intelligentia perceptionum, sed potissimum variae habentur perturbationes attentionis (quae figi non potest super determinata obiecta).

Ad hanc diminutionem et interdum amissionem attentionis, id additur quod scrupulosus, se suis tradit cogitationibus ac per longas horas suis paret inanibus speciebus *(rêvêrie)*, quin claram conclusionem, deliberationem, praefinitam ideam arripiat. Quibusdam in casibus, diminutio attentionis usque ad eclipses mentales pervenire potest, ad quandam scilicet moram cogitationis; quae eclipses comparari possunt cum iis voluntatis moris *(abuliae)*, quas supra vidimus.

Alterationes reperiuntur quoque in sensibus et emotionibus.

Hic autem, primo loco, ponenda est, utpote magni ponderis et primitiva, quaedam modificatio, de cujus existentia nemo est, qui cogitaret. Communiter hi aegroti

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

putantur personae emotivae, iique extimantur summo in gradu persentire omnes emotiones et sensus. E contra plerique hi aegroti sunt indifferentes. Imo habetur vera mora sensuum et emotionum. Nequaquam vero putandum est nos prae oculis habere quosdam casus *anaesthesiae* (insensibilitatis moralis), prouti habetur in hystericis. Scrupulosi afficiuntur emotionibus vel saltem iis affici incipiunt; sed hujuscemodi emotiones inceptae, quam primum cessant, aut, ad summum, transformantur in ruminationes mentales et angores. Aegrotus sibi suadet, suum sensum non esse completum, absolutum, et nihilominus timet hanc dolorosam transformationem. Sicuti superius vidimus, in ipsis non solum dolores, sed etiam gaudia cessant.

Sensus autem adsunt, qui non modo in imaginatione aegroti, sed re subsistunt; et, imprimis subsistit quidam generalis sensus tristitiae, taedii, aliquid nempe incerti quod sensus omnes atque cogitationes, moeroris signo colorat. In aliis aegrotis videtur inesse quoddam factum quod contradictorie opponitur alteri facto indifferentiae, quod superius descripsimus; atque e contra haberi quaedam exaggerata emotivitas, quae timiditate manifestatur. At, si melius inspiciatur character hujus emotivitatis, contradictio esse apparens videbitur. Emotivitas, quae iis in casibus habetur, insuetum obtinet characterem; ea est *retardans*, uti Janet (1) inquit, vel *retrospectiva* seu *retrospiciens*, sicuti aiebat Amiel in suo diario, cui titulus: *Journal intime* (2). Videlicet hi aegroti sunt aliquando prorsus quieti, cum aliquid occurit, quod eos agitare deberet, se habent tamquam si essent indifferentes; solummodo serius supervenit emotio, sub forma angoris, emotionis vagae, indeterminatae. Denique, quando in his aegrotis cernimus emotivitatem,

(1) *Op. cit.*, pag. 379.
(2) Pag. 151, vol. I.

etiam cernimus quod haec eorum emotivitas non statim oritur posteaquam adfuit stimulus emotivus, at serius dumtaxat, et quidem vel sub forma angorum vel sub forma crisium agitationum motricium.

Quaedam emotionum species, quibus interdum scrupulosi afficiuntur, sunt emotiones *sublimes;* hanc denominationem ipse quidam aegrotus dedit, quaeque digna est, quam nos accipiamus. Haec res abnormis est, quam explicare curabimus. Nunc convenit et satis est, eam memorare. Dum hi aegroti, more solito, sunt fracti, tristes, incapaces animum ferendi ad actus, ad attentionem, ad normales emotiones, paullatim in ipsis quaedam producitur extraordinaria excitatio, quae eos elevat super eorum normalem consuetudinem. Quendam insuetum casum citabo. Quidam scrupulosus ita describit hunc statum: « Identidem quasdam peculiares sensationes experior; id praesertim accidit, cum cogito quid ego agere possem, quid ego fieri possem.... Tunc, pulcherrima somnio...; serpit per mea membra frigus, magnaque felicitas meum totum occupat corpus. Sunt divinae impressiones, quae mihi probant existentiam animae in meo corpore ».

Una cum alterationibus fundamentalibus emotionum necnon cum sensibus *incompletionis* et forsitan causâ eorundem, in scrupulosis peculiares sensus evolvuntur relate ad speciales inclinationes, qui non reperiuntur in hominibus normalibus. Plures sunt; praecipuos tantum citabo.

Imprimis habetur *necessitas directionis.* Scrupulosi quoddam experiuntur gaudium cum obediunt, cum accipiunt omnino determinata jussa ipsis curanda, decisiones, quas ipsi capere debent. Cum aliquam nanciscuntur personam, quae eos dirigat, quaeque loco ipsorum consilium suscipiat, se illi inconsulte committunt, neque amplius curant examinare circumstantias, in quibus agunt. Cum e contra iis deest persona, quae eos

dirigat, in gravissimam desperationem prolabuntur. Hic sensus considerari debet in ordinem ad necessitudinem, quâ scrupulosi indigent, ut aliis faciendum committant actum voluntatis, qui difficilis evadit.

Nonnumquam necessitas directionis exhibetur sub forma magis implexa. Plures extant occasiones, in quibus scrupulosi quid agere debeant, sciunt, neque indigent ut sit, qui eis id suggerat. Ipsi non optant nisi quandam excitationem, quae alacriorem reddere possit deliberationem. Et pauci probabiliter sunt confessarii qui, id, in sede poenitentiali, non observaverint; videlicet aliquando confessarius non solum nihil proficere potest, praebendo dumtaxat directionem, quam aegrotus sequi debet, sed etiam ut utatur necesse est ironiâ, minis, vel precibus. Tunc vero admiratione afficimur, cum videamus scrupulosum offensionem ex ironia recipere, precibus flecti, minis pavescere, idque complere, quod ei complendum est. His in casibus agitur de vera excitatione, cuius scrupulosi necessitudinem persentiunt. Id, ipsi iidem affirmant: « Non indigeo dumtaxat directionis, sed etiam alicuius, qui me excitet, instiget, ut ego faciam quod mihi est faciendum, quodque optime novi mihi faciendum esse ».

Aliquando excitatio ab aliqua re producitur, quae persona non est, sed vicem ejus gerit. Quaedam scrupulosa ad statuam B. M. V. pergebat, quoties ei aliqua deliberatio etiam minimi momenti capienda erat. « Haec statua, ipsa aiebat, mihi singularem vis impressionem gignit ».

Necessitas directionis ex eo etiam manifestatur quod scrupulosis vehementer necesse est ut ament, utque amentur. Haec amandi necessitudo profecto intelligitur, si consideramus devotionem ad quam eos impellit vehemens amor, eam esse quae eosdem impellit ad illud agendum, cuius inire consilium ipsi soli prorsus incapaces essent.

Altera eiusdem sensus species est *timor solitudinis;* quoniam timent ne in solitudine directionem amittant, ne protegantur ac excitentur. Quidam scrupulosus super omnia timebat, ne maneret solus ruri, quia non poterat ad me se conferre, ut eum dirigerem.

Hujus sensus gradus magis exaggeratus est sensus redeundi ad infantiam *(sentimento di ritorno all' infanzia).* Ipsi tractari tamquam pueri cupiunt; ex quo apparet quod ipsi etiam arctius dirigi et regi desiderant.

Singularis sensus, qui primo aspectu contradicere videtur hactenus enumeratis, est *auctoritatis sensus,* qui manifestat immoderatam necessitudinem imperandi auctoritatemque exercendi. Nimirum scrupulosi interdum sunt viri auctoritatis cupidi. Id explicatur considerando quod ipsi tali modo imperant, non quia voluntas eorum imperiosa domina facta sit ita ut necessitate cogantur eam aliis imponere, sed prorsus ob contrariam rationem. Ipsi potissimum sunt viri debiles, quibus novus quivis conatus ad se accomodandos ad vitam, ad circumstantias, ad consuetudines sociales, molestiae est, iique ut illum evitent contendunt, cupientes quod alii vel propriis serviant commodis vel eos adiuvent ut contra eas mutationes vitae nitantur, quibus cogerentur suas rumpere vitae consuetudines.

Praeterea, hi aegroti sibi ipsis non satisfaciunt; dubitant de amore eorum quibus familiariter utuntur; necessitate coguntur continuo experiendi devotionem amoremque aliorum, quia putant alios quoque, quemadmodum et ipsi, esse debiles et ipsorum ad instar se, ut dirigantur, potius committere circumstantiis quam officii religioni. Ipsi igitur ad hunc finem exigunt, ut omnes ipsis oboediant, illosque humiliant quos ipsi praestare aestimant, ipsosque felicitas consequitur, cum eos, quos diligunt impellunt ad dolores ferendos, ut suum amorem verificare possint.

Ex his abnormibus sensibus derivant imperiosae manifestationes auctoritatis scrupulosorum, eorumque contradictiones explicant, necnon, ostendunt quomodo reapse sint ii, quibus continuo, ut dirigantur et excitentur, necesse est.

§ 4. — Characteres generales status psychici scrupulosi.

Nunc breviter complecti curamus characteres psychicos, quos in paragraphis praecedentibus descripsimus, quique constituunt statum psychicum scrupulosi.

1. *Incompletio moralis (l'incompletezza morale)* Pleraeque alterationes psychicae scrupulosorum extant sub forma sensuum quos aegroti experiuntur, quosque magna comparationum et metaphorarum copia ipsi scrupulosi describunt. Isti sensus, sunt: *sensus incompletionis* complectentes:

sensus incompletionis quoad actionem.
» » *quoad operationes intellectuales.*
» » *quoad emotiones.*
» » *quoad perceptionem personalitatis.*

Id quod est hujusmodi sensibus commune, est notio *inadaequalitatis (inadeguatezza), incompletionis*, quare sane eos Janet, uti vidimus, nuncupavit *sensus incompletionis*. Scilicet proprium scrupulosi est, quod afficiatur quodam sensu incompletionis psychicae plus minus profundo, plus minusve permanente.

Tunc nos ipsos interrogamus, quinam sit valor horum sensuum. Falsine sunt an veri? Sensus *incompletionis* est ne quaedam idea falsa, quaedam obsessio, quaedam mania mentalis, an vere correspondet quibusdam characteribus realibus ipsarum operationum psychicarum? Prouti vidimus, admittendum equidem est

quod scrupulosi multis in casibus exaggerant proprium statum ac decipiuntur; verumtamen observandum est, quod examen a nobis gestum circa alterationes eorum voluntatis, intelligentiae, emotionis, sensuumque, nobis ostendit, plerisque in casibus, haberi quasdam psychicas reales alterationes. Ita inspeximus quasdam cunctationes vel moras in evolutione variarum facultatum et maxime quandam inaequalem evolutionem, quandam discrepantiam et abrumptionem aequilibrii inter has facultates. Has omnes alterationes descripsimus sub nomine *insufficientiarum*, atque vidimus eas minime dependere ab obsessionibus ac maniis.

Ex his omnibus consequitur, quod primus character scrupulosi designari potest veluti: *incompletio moralis*. Videlicet scrupulosi hinc sentiunt suam activitatem mentalem esse incompletam, et illinc, haec activitas, in voluntate, in intelligentia, in sensibus, determinatas praebet lacunas, quae vocari possunt *insufficientiae psychicae*, quaeque, quadantenus, justificant *sensum incompletionis*, quem aegrotus lamentatur.

2. *Amissio functionis realitatis (la perdita della funzione del reale)*. Alterum characterem exhibet scrupulosus: amissio functionis realitatis.

Sub hac denominatione significatur quoddam speciale symptoma, cui late studere decet, quippe maximi momenti.

Inter praecipuos sensus, quos subiectum experitur causâ actionum et perceptionum obiectorum exteriorum, necnon causâ perceptionis suae ipsius personalitatis, nonnulli exstant qui exhibent quendam communem characterem.

Quando subiectum iterum atque iterum ait se non posse pervenire ad actum quendam complendum, et hunc actum complere impossibile ei esse, notari potest quod ipsum minime sentit hunc actum existere vel

existere posse. Interdum hi aegroti se agere tamquam si in somnio operarentur.

Insuper hi aegroti sunt divites idearum frequentia, sed ideae eorum, imaginationum steriles sunt. In spectaculo magis vident totum quam singula; magis ideam generalem quam formas sensibiles; in personis magis moralem physognomiam quam lineamenta vultus; praesens, ipsi inquiunt, eos intricat; magnaque cum frequentia super eos glomerantur sensus inopiae *realitatis*, obscuritatis, nigri, nequaquam visi, molesti, sensus somni ac mortis.

Hi omnes diversi sensus referri possunt ad *sensum absentiae realitatis*. Ita, v. g., cum ipsi affirmant se propriam amisisse personalitatem, esse semiviventes, mortuos, dumtaxat materialiter vivere vel vitam degere in absentia decisionis, votuntariae deliberationis, in incapacitate, quam lamentantur, quendam experiendi sensum, ipsi demonstrant perdidisse sensum, quo nos omnes fruimur, quod nempe sint *reales*, participes *realitatis;* paucis verbis, amiserunt *functionem realitatis.*

Porro hic sensus existit ne dumtaxat in eorum imaginatione an, e contra, habet obiectivam existentiam? Inestne in observatione actuum et cogitationum eorum aliquid quod alterationem realem revelet? Prouti Janet opinatur (1), hujuscemodi alteratio pertineret ad functiones psychicas cum realitate comparatas; quam functionem ille nuncupavit *functionem realitatis (funzione del reale)* (2).

Scrupulosus amisit functionem realitatis. Atque quod ita res se habeat facile videris si eos observa-

(1) *Op. cit.*, pag. 443.

(2) Dumtaxat auxilio studiorum de psychopathologia, Janet potuit in lucem proferre hoc factum; quod nempe in homine normali existat quaedam *functio realitatis,* quam psychologi hactenus dignoscere non potuere. Juxta Janet, exstat quaedam functio

veris in actionibus et eorum mentalibus operationibus. Eorum psychicae functiones nullam exhibent alterationem in operationibus, quae respiciunt abstractum vel imaginarium, dum, e contra, ipsae graves exhibent perturbationes statim ac respiciant realitatem concretam vel praesentem. Nimirum ad scrupulosum quod attinet, quidquid est imaginarium, quidquid transivit, quidquid futurum erit, per se praesefert quemdam facilitatis sensum. Perturbationes, quas descripsimus respiciunt solummodo *praesens* et *reale*. « Praesens, aiebat quidam aegrotus penes Dugas, mihi videbatur tamquam aliquid intrusi » (1). Aliaque quaedam aegrota: « In me inest quaedam deformatio realitatis, neque possum particeps esse mundi prouti ipse est, nec ullam experiri emotionem propter id, quod est ». Et quaedam alia aiebat: « Re quidem vera omnia mea mala ex hoc proveniunt, quod ego haud scio magni aestimare realitatem ».

Praecipuae vero alterationes, reperiuntur in actu voluntario, in perceptione obiectorum praesentium, in perceptione propriae personalitatis praesenti momento, propterea quod alterationes psychicae arctius colligantur cum realitate praesenti. Horum aegrotorum fluctuactio, eorumque tam singularia dubia nihil aliud sunt nisi varii aspectus eiusdem phaenomeni fundamentalis. Aegroti bene quidem agunt, sed sub hac conditione; quod nempe eorum actio nullius ponderis sit nec ullum effectum realem sortiatur. Ipsi in vita privata degenda quidquid volunt, facere possunt; sed simul ac actio alicuius momenti vel publica fiat, (et propter idipsum *realis*) agere

---

realitatis quae consistit in aequa aestimatione realitatis per perceptionem vel per actionem, quaeque magnopere modificat omnes alias operationes psychicas, prout cum iis coniungenda est necne, aut prout ipsa respicit obiecta abstracta vel concreta (op. cit., pag. 443 ss).

(1) *Revue philosophique,* 1894, II, pag. 40.

posse desinunt; paullatim suam professionem, relationes sociales, etc. relinquunt.

Patet quod ipsi vitam degunt omnino specialem, nullius prorsus ponderis sub omnibus respectibus consideratam. Ipsi sunt rebus extranei, et quidem omnibus rebus. Ipsi nullius practicae rei particepes esse possunt. Eorum familia repetit quod ipsi non sunt *practici* homines, quod nequeunt sibi rationem reddere suae realis conditionis, nec aliquid organizare vel ad exitum ducere valent. Cum ipsi aliquid activitatis conservant, videntur iis delectari rebus quae longius absunt a realitate materiali, sunt nempe, v. g., terribiles ratiocinatores. Est adhuc haec amissio functionis realitatis, ex qua intelligitur cur scrupulosi mundum relinquant et intimam ducant vitam. Et insuper intelligitur quomodo notionem temporis amittant; re quidem vera ipsi nihil pensi habent praesens, sed apud eos praeteritum et futurum tempus maximi momenti est.

Ex his igitur observationibus, deducitur quod plures alterationes psychicae a scrupulosi exhibitae, colligari possunt in quamdam psychicam unitatem, considerando quod realitas praesens quandam exigit specialem complexionem operationum psychicarum, et per consequens quaedam exstat functio specialis, quae vocari potest *functio realitatis*.

Est idcirco quaedam perturbatio in apprehensione realitatis (quae efficitur per perceptionem et per actionem) quae reassumit insufficientias exhibitas a scrupulosis, quaeque est character fundamentalis et commune fundamentum elocutionum, quibus utimur ad describendum eorum statum psychicum.

Pergamus nunc ad alium stigmatum ordinem, quibus aegroti nostri afficiuntur.

§ 5. — Insufficientiae physiologicae status scrupulosi.

Multi scrupulosi, quum perturbationibus psychicis urgeantur, has dumtaxat medico manifestant, et prorsus negligunt perturbationes physicas. Tenuis observator potest ab ipsis decipi, et sic praetermittere seriem phaenomenorum physicorum quae non nullius momenti sunt. Medicus ipse decipi potest verbis eorum, et negligens esse in ferendo suo valido auxilio. Nihilo secius sat est quod quis viderit scrupulosum una vice tantum, ut notaverit nihil praetermittendam esse hanc rem.

Eorum aspectus physicus aliquid singularis habet. Saepenumero sunt emaciati, notabiliter pallidi, lineamenta oris dura et grandi macie torrida habentes, ac per totum corpus quadam physiologica inopia affecti, quae fieri non potest, ut oculos non feriat. Quisque eos videat, necessario praesentit illos esse aegrotos. At adestne quodnam specificum vulnus, quod de eorum perturbationibus rationem reddat? Frustra quis illud quaereret, ait Raymond (1). Nihil sinit nos nunc admittere in scrupulosis existentiam singularium alterationum quae sint *substratum anathomicum* eorum manifestationum. Non ergo agitur de quadam mala organica formatione, sed de insufficientia quadam, ac (quemad modum locuti sumus de existentia insufficientiarum psychicarum) ita nunc agnoscenda existentia insufficientiarum physiologicarum, quae vero his aegrotis necnon omnibus nevrosibus in genere, communes sunt.

a) Insufficientiae systematis nervei. Primum insufficientiarum ordinem praebent perturbationes functionales systematis nervei. Hic habentur dolores capitis,

(1) *Obsess. et psych.* Vol. II, cap. 1, lez. 1ª

qui sese exhibent cum formis et circumscriptionibus abnormibus; perturbationes somnii, alterationes *reflexuum*, quae phaenomena sese exhibent veluti proprietates cujusdam depressionis nervosae omnino similis ei quae in nevrasthenia habetur.

Lectoribus inspectis quibus hic inscribitur liber, mihi haud licet insistere in his describendis symptomatibus et mechanismo, qui ea determinat. Mihi notare satis erit, quomodo, praesertim dolores capitis, constituant phaenomenon, quod facilius aegroti lamentantur. Ipsi aegroti hujusmodi dolores describunt; iique formas obtinent quam maxime insolitas. Saepe saepius agitur de quodam capitis dolore surdo, obtuso, vago, cum quo una simul miscentur sensationes constrictionis, vacui, gravedinis. Aegrotus sentit suum caput occludi veluti ex quodam ferreo circulo, quo demisso, dolor capitis augescit, et vehementer tempora tremunt. Aliquando in capite videtur inesse quidam plumbi globus; aliquando percipiunt sensationem aquae profluentis. Prae ceteris crebior est sensatio vacui. Omnis mentalis conatus, malum et dolorem auget.

Hujusmodi capitis dolores, relationem habent cum alterationibus circuli sanguinei necnon cum perturbationibus gastricis.

b) Insufficientiae functionum digerentium seu digestivarum.

Perturbationes functionum digestivarum locum obtinent maximi momenti. Admodum sunt clariores quam phaenomena exhibita a nerveo systemate.

Externus aspectus revelat hujusmodi malam functionem ex macie, ex pellis colore, ex quodam generali aspectu absentiae nutrictionis.

Frequentius phaenomenon praebetur a perturbationibus gastricis quae phisognomiam assumunt propriam cuiusdam morae in stomaci functionibus. Hae

alterationes gastricae, propter circulum vitiosum, derivantur scilicet ex debilitate systematis nervei et simul, ad tempus, sunt et ipsae causa aliarum novarum alterationum et perturbationum propter intoxicationes, quas ipsae determinant. Perturbationes autem gastricae perspicuam habent relationem cum alterationibus psychicis, sicuti aegroti ipsi notarunt. Cum stomachus male suas exercet functiones, nigerrimi adveniunt dies, quibus omnia male procedunt. Atque hujusmodi alterationes functionum gastricarum repercussionem habent in intestinales functiones et generatim super nutrictionem in genere.

c) Modificationes circulationis, non sunt magni momenti. Praesertim notantur in crisibus angorum, per pulsationes frequentiores et irregulariores pulsi, per palpitationem cordis, etc. Modificationes etiam habentur extra crises angorum, sed non videntur aliquid singularis in se habere, et potius relationes videntur habere cum nutrictionis perturbationibus.

§ 6. — Conclusio.

Ex omnibus in hoc capite expositis sequitur quod scrupulosi non exhibent quasdam alterationes in vera significatione verbi, sed potius quasdam *insufficientias psychologicas et physiologicas.*

Hae, constituunt *stigmata scrupulosi,* quae revelant in functionibus psychicis et physiologicis horum infelicium quasdam alterationes anteriores ad manias, ad ideas obsessivas, ad τὰ *tics* et ad alia symptomata; atque dispertiuntur in tres ordines:

1. *sensus incompletionis operationum psychicarum,* tamquam perturbationes subiectivae. His subiectivis perturbationibus adduntur et quadantenus corre-

spondent perturbationes obiectivae, quae duas obtinent classes;

2. *insufficientias psychicas*, conducentes *ad amissionem functionis realitatis*, et

3. *insufficientias physiologicas*, proprietates nervcae consumptionis (*esaurimento nervoso*).

Postremo notandum est hujusmodi stigmata scrupulosi non esse continua per totam aegroti vitam; neque sine interrumptione existere, etiam gravioribus in casibus. Quin aggrediamur studium de morbi evolutione, quam inferius perpendemus, jam nunc dicere possumus ea se exhibere per statutos temporis circuitus, qui tantummodo in casibus gravibus praeter modum producuntur.

Praeterea observandum est quod multi casus demonstrant temporis periodos, in quibus haec stigmata sese exhibent, admodum longiores esse quam temporis periodos, in quibus habentur crises idearum obsidentium et crises agitationum coactarum.

Crises agitationum coactarum et crises idearum obsidentium adduntur ad temporis periodos, in quibus habentur manifestationes stigmatum, quae supra descripsimus. Hujusmodi crises incipiunt aliquanto post praesentiam talium stigmatum, ac aliquanto ante ipsa, evanescunt. Affirmari ergo potest stigmata esse veluti praeliminaria crisium obsessionum.

Sed ut melius intelligatur quomodo haec phaenomena chronologice et logice connectantur, quomodo genetice determinentur, exponamus necesse est theorias, juxta quas hujusmodi facta in unam quandam conceptionem colligantur. Videlicet studeamus necesse est diversis theoriis, quibus scrupuli phaenomenon explicare tentatum est.

Caput quintum.

De theoriis pathogeneticis scrupuli, seu de theoriis circa scrupuli naturam.

1. *Introductio.* — Tractationis difficultates. — Interpretatio psychologica scrupuli. — Tres theoriarum ordines.
2. *De theoriis intellectualisticis.* — Earundem insufficientia.
3. *De theoriis emotionalibus.* — Superioritas earum prae praecedentibus. — Earum critica et insufficientia.
4. *De theoriis psychastenicis.* — Hujus doctrinae fundamentum.
5. *De phaenomenorum psychicorum hierarchia.* — Hujus hypothesis necessitas. — Ejus fundamentales notiones. — Momentum et praestantia phaenomenorum. — Eorumdem classificatio.
6. *De tensione psychica.* — Hujus hypothesis fundamentum et necessitas.
7. *De fluctuactionibus tensionis psychicae.* — Interpretatio scrupuli, prouti est quaedam depressio tensionis psychicae.
8. *Conclusio.*

§ 1. — Introductio.

Perquam difficile est struere theoriam pathogeneticam, quae nempe originem et naturam morbi explicet. Et ratio evidenter patet. Ante omnia enim nos prohibemur anathomicam ac physiologicam suppeditare explicationem; nam si verum est quod hunc morbum comitantur physiologica symptomata, haec autem tam vulgaria sunt, et communia huic necnon plerisque aliis morbis, ut non possint considerari tamquam characteres

pathognomici, et proinde talia non sunt ut constituant fundamentum theoriae ad morbum explicandum aptae.

Sed, quum ignoremus intimum mechanismum, atque naturam symptomatum characteristicorum, idest symptomatum psychicorum, determinare contenti erimus quodnam sit principale symptoma, quocum cetera connectenda sunt, atque quaenam ex contrario sint secundaria symptomata, quae sub dependentia primorum ponenda sunt.

Igitur, potius quam praebeamus veram pathogeneticam theoriam de scrupulis, suppeditare contenti erimus psychologicam interpretationem.

Neque res parvi momenti videatur exponere interpretationem de symptomatibus psychasteniae. Re quidem vera quis cupiat rationalem scrupulorum aggredi tractactionem, quod postremo est hujus studii finis, rationem habeat necesse est de mechanismo, qui varia colligat symptomata. Hoc dumtaxat studio, nos determinare possumus quaenam sint fundamentalia symptomata contra quae nobis decertandum est, quibus fugatis, multitudinem quoque symptomatum secundariorum fugare possumus.

Quam plures proposuere theorias viri de hac re docti, ad explicandam naturam scrupulorum et originem; at pleraeque insufficientes videntur. Ad me quod attinet, accurato peracto examine, rectius accipienda videtur illa, quam recentiores tuiti sunt, quamque magnopere Janet explanavit. Attamen et alias silentio praeterire nequeo, omnesque exponere debeo, saltem per praecipua capita.

Quaenam sunt fundamenta harum variarum theoriarum?

In scripto, quod jam edidi (1), affirmavi, quaestionem circa interpretationem psychologicam scrupulorum con-

(1) Cfr: *Scrupoli ed ossessioni.* Note di psicopatologia ad uso dei confessori, in: « Scuola Cattolica », maggio-giugno 1910, pag. 7.

sistere in determinando, quaenam ex variis symptomatibus a scrupulosis exhibitis, principalia sint.

Nunc juvat in mentem revocare, quod symptomata a scrupulosis exhibita, in triplicem ordinem dividuntur.

1. Primus symptomatum ordo constituitur ex *obsessionibus* (*idee ossessive*) proprie dictis, idest ex ideis quandam satis nitidam complectentibus repraesentationem, cujus determinatum obiectum est quidam generalis conceptus, quaeque conscientiam subiecti invadit modo immoderato ac involuntario. Hujusmodi obsessiones characteres speciales exhibent, quorum praecipuus est defectus conclusionis, quoniam hae ideae numquam perveniunt sive ad actionem sive ad hallucinationem sive ad certitudinem.

2. Alter ordo, et quidem admodum varius, ex *agitationibus coactis* (*agitazioni coatte*), idest ex processibus qui complentur modo plus minusve ineluctabili in subiecti spiritu; ex motibus nempe diffusis et systematizatis sub forma *tics*, emotionum dolorosarum, ruminationum mentalium, scilicet operationum mentalium indefinitarum quae non constituebant ideas praecisas, sed indefinite iterabantur, quin ad conclusiones pervenirent.

3. *Insufficientiae psychologicae (insufficenze psicologiche)*, idest perturbationes quarundam operationum psychologicarum, quae non amplius efficiuntur sicuti in statu normali. Hujusmodi perturbationes imprimis consistunt in quibusdam sensibus pathologicis *inrealitatis, (sentimenti d'irrealtà)* impotentiae, incompletionis, deinceps in quibusdam alterationibus realibus functionum, quae praesertim phaenomena quaedam abuliae sunt.

Ex hoc quod tres sunt ordines fundamentales symptomatum, quae in scrupulosis observantur, sequitur quod theoretice tres haberi debeant ordines theoriarum principalium; idque prouti ipsae initium sumunt ex uno ex his ordinibus vel ex uno ex phaenomenis pertinentibus ad hunc vel illum ordinem.

Itaque habentur theoriae quae in tres ordines colligi possunt(1) scilicet: *theoriae intellectualisticae; theoriae emotionales; et theoriae tensionis psychologicae, seu theoriae psychastenicae.*

Theoriae intellectualisticae, in primo loco ponunt, tamquam phaenomenon fundamentale, quocum cetera connectuntur sub ratione dependentiae geneticae, obsessionem proprie dictam, seu ideam, quae aegrotum torquet.

Theoriae emotionales, initium sumunt ex agitationibus coactis et praesertim ex affectionibus emotionum angoris.

Tandem tertius theoriarum ordo initium sumit ex tertio ordine factorum, nempe ex insufficientiis psychologicis et praesertim ex abuliis. Hic tertius ordo nuncupatus est, ordo *theoriarum psychastenicarum.*

§. 2. — De theoriis intellectualisticis.

Theorias intellectualisticas nobis praebuerunt, qui primi in hujus morbi studium incubuere. Hi auctores praesertim excitabantur ex ideis obsessivis, necnon ex earum manifestationum prospectu, easque considerabant veluti phaenomenon fundamentale psychologiae scrupulosi. Scrupulus, prouti ipsi opinabantur, ex quadam idea progignebatur, quae subiectum torquebat, ipsique imponebatur eo modo, quem nos descripsimus, ita ut illud obligaret, v. g., ad cogitandum se reapse hanc vel illam culpam commisisse. Alia symptomata, sicuti emotio angoris, sensus incertitudinis, incompletionis, *tics,* rumi-

(1) Janet, *Les Névroses,* Paris 1909, pag. 346 et seq. — Janet, *Les obsessions et la psychasténie.* Paris 1908, pag. 450 et seq. Expositionem historicam doctrinarum pathogenicarum obsessionis invenies in opere, quod supra citavi, Janet, necnon in operibus Pitres et Régis. Confer: *relationem in congressu medicinae Moscoviae habito, perlectam,* anno 1896.

nationes mentales, etc., considerabantur veluti phaenomena secundaria, quae ex idea obsessiva oriebantur.

Hic conceptus, plus minusve modificatus jam exposuere Delasiauve (1); Peisse (2) (1854); Griesinger (3) (1868); Westphal (4) Meynert (5) (1877); Buccola (6) Tamburini (7) (1880); Hack Tuke (8) (1894); atque recentius Magnan ac Legrain (9) (1895). Haec opinio nullum hodie obtinet favorem, quia eam insufficientem demonstrarunt Pitres et Régis, theoriae emotionalis defensores, ac Janet, defensor theoriae psychastenicae.

Et reapse ipsa insufficiens est, quia Westphal, aliique auctores, qui eam sequuntur, tantummodo demonstrant, quod phaenomena intellectualia (*ideae obsessivae*) sunt prima symptomata quae apparent, quodque quidam exstant casus, in quibus ideas obsessivas non comitantur angores, aliaeque emotiones. Quod quidem minime demonstrat prioritatem idearum obsidentium, sed tantummodo insufficientiam theoriarum emotionalium. Et vicissim clinica quaedam facta exstant, quae ipsam prioritatem infirmant. Nisi arbitrario, quis velit seorsum ponere aegrotos, qui veras exhibent obsessiones, scribit Janet (10), si una simul comprehendantur omnes ii aegroti qui exhibent pleraque symptomata psychologica communia, confestim perspicitur factum commune dominantius, non equidem esse ideas obsidentes, sed *tics*, emotiones angoris, agitationes mentales, sensus

(1) DELASIAUVE, *Ann. méd. psych.*, pag. 118.

(2) PEISSE, *Ann. méd. psych.*, p. 283.

(3) GRIESINGER, *Archiv. f. Psychiatrie*, 1886, pag. 626.

(4) WESPHAL, *Berlin. klin. Wochenschrift.*, 1872, pag. 380. Ueber zwangsvorstellung 1877.

(5) MEYNERT, *Psych. Centralbl.*, 1877.

(6) BUCCOLA, *Riv. Sper. Frenatria*, 1880.

(7) TAMBURINI, *Riv. Sper. Frenatria*, 1880.

(8) HACK TUKE, *Brain*, 1894.

(9) MAGNAN ET LEGRAIN, *Les dégénérés*, Paris 1885, p. 174.

(10) *Loc. cit.*, p. 461.

incompletionis. Ideae obsessivae, ut plurimum, serius oriuntur, ac plerumque alia symptomata sequuntur potius quam praecedant.

Huic clinico facto addatur observatio psychologica magni momenti, quae legitur apud Janet (1). Idea est phaenomen quoddam psychologicum implexum, quod quaedam habet antecedentia. Equidem etiam ideae obsessivae, antequam efformentur ac characterem obsessivum recipiant, praecedi debent ab aliqua perturbatione psychologica. Cogitari posset efformatio quarundam idearum fixarum, mediante quodam mechanismo, qui analogiam habeat cum mechanismo suggestionis hypnoticae; sed in primis suggestio hypnotica quasdam supponit perturbationes pracedentes et insuper suggestio hypnotica non existit apud scrupulosos. Scribit Janet hanc esse quaestionem magni momenti, in qua insistendum est. Scrupulosi, cum suggestione afficiuntur, non eo modo se habent, quo hysterici. Ipsi illam suggestionem patiuntur modo imperfecto ac omnino insuficienti ad quandam ideam fixam producendam. Injuria ergo quam plures auctores hanc analogiam revocarunt ad explicandam obsessionum efformationem. Etenim prorsus inexplicabilis remaneret obsessio si ea consideraretur tamquam factum quoddam primitivum.

§ 3. — De theoriis emotionalibus.

Hae observationes causa fuere quod plerique studiosi relinquerent *theorias intellectualisticas.*

Quin immo usque a primis inquisitionibus circa obsessiones, ad interpretationem intellectualisticam, alia interpretatio addita est, nempe interpretatio emotionalis. Inter primas obsessionum descriptiones, ea habetur, quam confecit Morel qui eandem ordinavit anno 1886,

(1) *Op. cit.*, pag. 46.

veluti delirium emotivum. Haec denominatio clare satis indicat quod agitur de theoria emotionali. Opinio naturae emotivae obsessionum a quam pluribus aliis studiosis admissa fuit. Inter quos memorandi sunt Jastrowicz et Sander (1), Berger (2), qui 1877 refutarunt opiniones Westphal, quas supra retulimus. Deinceps hanc opinionem tuiti sunt magisque determinarunt Legrand du Saulle (1877) (3), Brosius, Wille (1881), Wernicke, Kraft-Ebing, ac Friedenreich (1887) (4), qui ideas praecedentium auctorum determinavit, Hans Kann, Schule, Féré (1882) (5), Dallemagne (6), Séglas (7), Ballet (8), Freud (9), Pitres et Régis (1897) (10). Omnes hi auctores docent factum primitivum scrupuli esse perturbationem quandam vitae affectivae, factum quoddam emotionale. Postea tantum, atque causâ hujus phaenomeni affectivi, verificantur perturbationes intellectuales.

Haec doctrina initium sumit ex notissima theoria emotionum a Lang-James (11), in lucem edita. Juxta hanc theoriam, uti compertum est, emotio constituitur ex conscientia variationum circulationis, ex conscientia variarum modificationum visceralium, quae comitantur determinata facta psychologica, ita ut nos lugeamus non quia dolore afficimur, sed nos esse tristes sentimus, quia lu-

---

(1) *Archiv. f. Psychiatrie*, VIII, pag. 734-750.

(2) *Archiv. f. Psychiatrie,* VI, pag. 217; VII, pag. 616.

(3) *Agoraphobie,* p. 46.

(4) *Neurologisch. Centralbl.* 1887.

(5) *Pathologie des émotions,* 1892, pag. 453.

(6) *Dégénérés et déséquilibrés,* 1895, pag. 573.

(7) *Leçons cliniques,* 1895, pag. 81.

(8) *Traité des médecine,* (Charchot-Bouchard).

(9) *Neurologisch. Centralblatt,* jan. 1895.

(10) *Séméiologie des obsessions, XII Congrès de médecine,* Mouscou, 1897.

(11) Cfr: expositionem doctrinae JAMES et LANG apud: GEMELLI, *La dottrina somatica delle emozioni*, Lib. Ed. Fior., 2 ed., 1910.

gemus. Sic intellecta emotivitas, variabilis est, prouti diversa sunt; individua quidam exstant, qui particulari praediti sunt emotivitate; haec emotivitas fit juxta Féré excessiva, cum hujusmodi physiologicae variationes, quae constituunt emotionem, superant normalem intensitatem, ultra modum provehuntur, producuntur sine sufficienti causa determinata.

In priori individuorum categoria occurrit *emotivitas diffusa*, et enascitur propter idearum, multitudinem, ita ut producatur veluti quaedam species *panophobiae*. Aegroti veluti in statu quodam tensionis sunt; quaevis sensatio determinat maximam excitationem, anxietatem, angorem. Hi aegroti in continuo inquietudinis statu vitam degunt; ipsi timent ne timeant.

In altera individuorum categoria, haec *emotivitas vaga ac diffusa*, systematizata invenitur. Angor, in determinatis circumstantiis producitur. Nunc agitur de phobiis constitutionalibus; nunc de phobia anxia, originis haereditariae, quae oritur causâ quorundam fructuum, sanguinis, ignis, procellarum, animalium, etc. In aliis casibus agitur de phobiis acquisitis.

Tertia aegrotorum categoria constituitur ex iis aegrotis qui ad illud pervenerunt stadium, cuius causâ *status obsessivus factus est intellectualis*, quemque idea anxia comitatur. Juxta Pitres et Régis (1) in his casibus haberetur phobia praecedentis categoriae, sed intellectualis facta est (*intellettualizzata*). Breviter, obsessio unam tantum ideam aggreditur; emotivitas attenuatur; atque unica tantum idea fixa habetur quae ad se trahit omnem aegroti angorem.

Post pubblicationem scripti Pitres et Régis plerique auctores hujusmodi interpretationem emotionalem circa obsessionem secuti sunt.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 32.

Sane observat Janet (1), quod haec theoria progressum quemdam ostendit relate ad praecedentem theoriam intellectualisticam. Potiusquam considerent tamquam admissum et primitivum statum magis implexum, ideam nempe obsessivam, Pitres et Régis initium sumunt ex quodam simplici phaenomeno, scilicet ex emotivitate atque ex statu emotionis diffusae. Insuper initium sumitur ex quodam phaenomeno, quod evidenter magni momenti est: i. e. ex angore physiologico. Et reapse angor, est phaenomenon frequens ac magni momenti in scrupuloso, qui semper anxietate afficitur. Praeterea emotivitas, phaenomenon quoddam est, quod frequenter reperitur in quam plurimis scrupulosis. Quare videretur nos posse invenire in emotione exaggerata aut in quadam emotivitate pathologica, communem characterem, qui haec morbosa phaenomena colligere deberet, quique inservire deberet ad ea distinguenda a ceteris phaenomenis. Verumtamen contra hanc theoriam, variae allatae sunt obiectiones, quae nos obligant ad eam rejeciendam.

Prouti Haskovec (2) opinatur, hae theoriae in errore versantur quia omnia reducere volunt ad emotionem, ac praesertim ad unicam tantum emotionem; seu proprius ad hunc specialem statum angoris, qui frequenter in scrupulosis invenitur. Jamvero hic status angoris, non semper constituit fundamentum obsessionis. Quidam ab Haskovec referuntur casus, in quibus videtur non haberi hujusmodi angor. Praeterea quidam exstant casus, in quibus habetur obsessio scrupuli, sed deficiunt perturbationes emotionales. Hujusmodi casus relati sunt a Westphal, Waschide, Griesinger, atque Haskovec.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 468.

(2) *Comptes rendus de la section de Psychiatrie, XIII Congrés de médecine,* Paris 1900, pag. 121.

Insuper saltem in dubium revocare deberemus explicationem, quae nititur in theoriâ somatica (Lange-James) emotionum, quae, si tot ob respectus originalis est, iis tamen contra facta scatet contradictionibus, ut eam recipere non possimus (1).

At etiam, praeter hanc observationem, inquisitiones a Vaschide, Marchand (2), et praesertim ab Arnaud (3), peractae, in lucem prodiere, alterationes in functionibus cordis vasorumque sanguinis minime praecedere perturbationes mentales, et obsessionem non determinari ex facto emotivo, sed ex aliqua re quae, vice sua, etiam hoc factum praecedit. Quamobrem Arnaud observabat hanc doctrinam nimium tribuere valorem emotioni, ac unam tantum explicare partem obsessionis, nempe partem emotivam. Hic porro accessus emotivus, procul dubio est aliquod factum magni momenti, sed est aliquid transitorium; status obsessivus extra crises emotivas persistit, neque explicari potest mediante emotione, cum ea sit phaenomenon transitorium atque subitaneum.

Magis quoque profundae, fuere critices doct. Janet (4). Prouti hic auctor opinatur, theoria emotionalis nimis vaga et incerta est, et simul nimis coarctata.

Haec theoria necessario nimis vaga est, idque non jam propter culpam eorum qui eam emiserunt, sed quia nos ignoramus naturam emotionum. Prouti Janet observat, pauci inveniuntur conceptus qui sint magis vagi conceptu emotionis in genere ac emotitivatis. Variae emotiones non sunt aequales, et si scrupulos obsessionibus conjungere volumus, nova exstruenda erit theoria

---

(1) Cfr. opus meum, quod supra citavi, in quo exponitur critica hujus theoriae somaticae circa emotiones.

(2) *Revue de Psychiatrie*, jul. 1900.

(3) *Archives de Neurologie*, 1902, p. 257.

(4) *Op. cit.*, pag. 471 et seq.

pro unaquaque emotione. « Verum evidens est, addit idem auctor, quod si sumere perges verbum « *emotio* » sensu absolute vago; si hoc verbo significes omnes perturbationes, quas mente effingere potueris, sive sensus, sive voluntatis, sive personalis conscientiae, nulla fieri potest disputatio, atque, quacumque theoria intellectualistica negata, necessario amplecti debemus has emotionales theorias. Sed eo ipso excluditur quaelibet explicatio ».

Pitres et Régis emotionem reducere voluerunt ad interpretationem, quam tradidere James et Lang, atque apud eos nomine emotionis venit quaecumque variatio neuro-vascularis. Nos hanc possemus impugnare opinionem, ac demonstrare in emotione praeter factum physiologicum, adesse elementum psychologicum characteristicum, quod praecedit ac determinat variatio nem cardiovascularem (1). At, etiamsi talem opinionem physiologicam emotionum acciperemus, nobis tamen simul recognoscendum esset quod angor scrupulosi ejusque variationes emotionales non sufficiunt ad explicanda, modo sufficienti, phaenomena, quae scrupulosus exhibet.

Si enim emotio vere consisteret in palpitatione cordis, in irregularitate respirationis, in praesentia ruboris in vultu, tunc ipsa ad amussim aequalis esset tum in emotionibus normalibus tum in emotionibus pathologicis a scrupulosis exhibitis. Homo iratus, observat Janet (2), exhibet palpitationes cordis, vultus ruborem, respirationem frequentem; item homo metu subactus, afficitur palpitatione cordis, irregularitate respirationis, etc. An

---

(1) Cfr., ea quae ego scripsi de emotionibus in op. superius cit. in quo demonstrata est necessitas admittendae, vi factorum, doctrinae psychophysiologicae circa emotionem ad instar doctrinae aristotelico-thomistae.

(2) *Op. cit.*, pag. 472.

ex hoc concludendum est quod ira normalis, metus normalis, sunt idem ac angor scupulosi? Falsa profecto esset conclusio; siquidem angor scrupulosi est status quidam specialis. Aegroti ipsi, scribit idem auctor, nos admonent, quod suus status angoris, non idem est ac status metus sive irae. Itaque theoria emotionalis nobis rationem reddere circa characteristicum statum scrupulosi haud scit, illumque cum aliis statibus confundit.

Neque valet responsio quod differentia non respicit qualitatem, sed quantitatem, in his visceralibus phaenomenis, quorum repercussio, uti theoria emotionalis docet, determinaret in conscientia individui emotionem et angorem. Equidem in hoc casu idem esset ac affirmare quod eorum exaggeratio, iisdem tribueret quendam characterem pathologicum atque distingueret iram et metum ab ossessione scrupulosi. An non adsunt quidam magni irae impetus, quaedam animi incitationes, quidam timores, quae, magnae variationes neuro-vasculares comitantur, quaeque nihilominus nec phobiae, neque obsessiones, neque scrupuli fiunt? An non adsunt, ex altera parte, status pathologici in morbis cardiacis et pulmonariis, quos comitantur, magnae modificationes neuro-vasculares, quique nihilominus non idem sunt ac crises propriae scrupulosi? Itaque, concludit Janet, quodlibet sit problema consideratum, ii, qui theoriis emotionalibus utuntur ad explicandum statum scrupulosum, adstringuntur ad aliquid indeterminati et vagi amplectendum ac in magnis generalibus lineis commorandum.

Insuper haec theoria, si est vaga, ex altera parte nimis coarctata est. Ea negligit et omittit plura essentialia phaenomena morbi. Ut haec theoria admitti posset, probandum esset, quod reactiones viscerales exaggeratae, tamquam essentiales inspectae, reperiuntur, ad instar fundamenti et principii, in omnibus symptomatibus characteristicis status scrupulosi, eaque semper comitantur.

Porro facta demonstrant, quod id multum abest ut verificetur. Si considerentur obsessiones proprie dictae, nonnullae inveniuntur, quas reapse praecesserunt agitationes viscerales, vel systematicae, vel diffusae. Itaque nonnulla exstant individua, quae obsessionibus genitalibus laborant, quae tum incepere, cum aegrotus in organis genitalibus affectus est doloribus, qui erant veri angores systematici. Verumtamen id non semper contingit. Multae obsessiones non solum sunt actualiter phaenomena intellectualia, sed etiam se evolvunt post veras perturbationes intellectuales, minime vero post perturbationes emotionales. Itaque plures obsessiones ortae sunt post perturbationes intellectuales differentes; hujusmodi sunt, agitationes mentales, maniae inquisitionis, maniae pactionis; vel post sensus pathologicos, veluti necessitas directionis, necessitas ut quis ametur, sensus dubii, etc. Hae omnes agitationes multum equidem differunt a statibus angoris aut statibus emotionalibus. Item dicendum est quoad *tics*, quoad necessitatem vivendi magis in praeterito quam in praesenti tempore, quoad abulias. Hae omnes perturbationes minime confunduntur cum agitationibus visceralibus emotionis; quin immo prorsus contrariae sunt. Sunt quidam ex his aegrotis, qui potius quam individua emotiva, sunt viri indifferentes, atque scrupulosi fiunt, qui se ineptos sentiunt ad quamcumque emotionem. Haec et alia plura facta, quae multiplicare haud difficile esset, sufficienter ostendunt, quod emotivitas non est causa scrupulorum, quod inservire nequit ad scrupulosum distinguendum ab aliis aegrotis, quodque constans nequaquam in his aegrotis est.

Aliam igitur inveniamus theoriam oportet, quae ad explicandum mechanismum geneticum scrupulosi inserviat.

§ 4. — De theoriis psychastenicis.

Sane equidem Petrus Janet, magni faciens momenta harum difficultatum, quae opponi possunt contra theorias intellectuales et emotionales, cogitavit utrum possibile esset diverso alio modo symptomata colligere. Janet (1) non consideravit, tamquam factum essentiale et primitivum, ideam obsessivam, quae pertinet ad primam classem symptomatum; neque tamquam factum primigenium consideravit angorem emotionalem (i. e. unam ex agitationibus coactis primae classis), sicuti fecere defensores theoriarum intellectualisticarum necnon defensores theoriarum emotionalium, sed cogitavit de accipiendis, tamquam principium et fundamentum, phaenomenis, quae tertia classis exhibet, nempe stigmatibus psychastenicis. Et, quoniam, secundum hanc opinionem, initium sumitur ex quadam psychologica debilitate, itaque ea, nomine theoriae psychastenicae, designata est; iique qui scrupulis afficiuntur, propter relationem ad hanc opinionem, psychastenici vocati sunt (2).

---

(1) *Op. cit.*, pag. 480 et seq.

(2) Hujusmodi opinio undequaque nova non est. Jam plures auctores supponere videbantur, quod sub emotivitate et angore quaedam adesset perturbatio, activitate mentali profundior. Quos inter auctores commemorandi sunt; Cordes, Legrand de Saulle, Hack Tuke, Féré, Boissier, Séglas, Dallemagne, Arnaud, Edw. B. Angell, aliique. Ad Janet autem spectat, quod melius determinatum sit hoc factum, quodque exstructa habeatur conceptio systematica psychasteniae. — Cfr. Cordes, quem citat Legrand de Saulle, *Agoraphobie,* pag. 55. — Legrand de Saulle, ibid., p. 62. — Hack Tuke, *Journal of mental science,* Jul. 1885. — Féré, *Pathologie des émotions,* 1892, Paris, p. 460. — Boissier, *Neurasthenie et mélancolie dépressive,* Paris 1894, pag. 78. — Séglas, *Leçons sur les maladies mentales,* 1895, p. 131. — Dallemagne, *Dégénérés et déséquilibrés,* 1895. — Arnaud, *Archives de neurologie,* 1902, p. 263. — Edw. B. Angell, *Journal of nervous and mental diseases,* aug. 1900.

Theoria psychastenica doct. Janet duabus nititur conceptionibus particularibus, quas hic summis lineis commemorare convenit: nimirum nititur in *hierarchia phaenomenorum psychologicorum*, atque in *tensione psychologica*.

Prius igitur quam ejus theoriam exponamus et examinemus, critice examinare convenit has binas partiales conceptiones.

§ 5. — De hierarchia phaenomenorum psychicorum.

Janet initium ducit ex consideratione necessitatis scrupulum reducendi ad phaenomenon quoddam primigenium atque profundius quam phaenomenon designatum a theoriis tum intellectualisticis tum emotionalibus, quodque capax sit, suis alterationibus, explicare perturbationes voluntatis et emotiones status scrupulosi proprias.

Scrupulosos consideranti, evidens eorum debilitatio occurrit et gradatim amissio quarundam operationum psychologicarum, dum aliae operationes sat conservatae remanent, potiusque praebent quandam evolutionem exaggeratam. Hanc considerantes differentiam naturaliter vehimur, ut supponamus, quod non omnes operationes spiritus eundem praebent facilitatis gradum, ac quod in debilitatione functionum cerebralium, eae non omnes evanescunt eodem tempore, sed diversimode prouti expostulat facilitatis gradus.

Ex quo ducimur, ut quamdam supponamus hierarchiam functionum psychologicarum. Opus verum est observare, non quidem agi de hac stabilienda hierarchia, rem considerando sub aspectu ontologico, vel sub respectu morali, sed solummodo sub aspectu psychologico. Agitur ergo de earum majori minorive facilitate examinanda, respectu habito ad sanitatem et aegritudinem, ut frequentia et ordo statuantur, secundum quae, haec phaenomena evanescunt in aegrotis, de quibus nos agimus.

a) Functiones realitatis (funzioni del reale). Id quod frequentius in nostris scrupulosis evanescit, et id quod, propter hanc rationem, summum debet occupare locum in hierarchia, est ea accommodatio *ad realitatem*, quae *functio realitatis (funzione del reale)* nuncupata est. Hujusmodi functio, quam plerumque a ceteris distinguere non solemus, consistit in apprehensione realitatis sub suis variis formis. *Functio realitatis* inest in conscientia statuum nostrorum interiorum atque in perceptione nostrae ipsius perceptionis. Idonei simus oportet ad nosmetipsos percipiendos, ac scire necesse est quomodo nos realiter sumus (1). Priorem principalemque hic invenimus difficultatem, quae est perceptio cum certitudine, cumque realitatis sensu. Itaque in aliam incurrimus difficultatem, et quidem magni, hic, momenti, eaque est perceptio nostrae unitatis, illa scilicet admonitio qua spiritum sentimus realiter pervenisse ad quandam syntesim mentalem.

Nunc necessarium est considerare quomodo se gerant variae functiones psychicae in apprehendenda realitate.

Ante omnia hic invenitur *actio voluntaria* subiecti in rebus exterioribus; ipsa difficilior fit, si coram testibus veniat, vel si exercenda sit non solum in circumstantiis physicis, sed etiam in circumstantiis socialibus, in quibus vivimus; atque quoque difficilior fit, si agitur de quadam actione *utili* aut *potius utilitatem* afferente, verbo accepto in sua ethymologica significatione, idest si ad exitum venire debeat, actus practicos afferens, sive pro nobis ipsis, sive pro aliis. Haec denique difficultas augescit conjunctim cum gradu accommodationis necessariae una cum novitate actionis, et per consequens una cum necessitate eam perfectius coordinandi,

(1) JANET, *op. cit*, pag. 483.

eamque profundius componendi cum omnibus et singulis adiunctis nostrae personalitatis. Nos actionem voluntariam in summitate hierarchiae ponimus, quia ipsa revera ea est, quae frequentius in nostris aegrotis perturbatur. Indolentia, incertitudo, pigritia, actuum lentitudo, eorum inordinatio, absentia oppositionis, quaedam inhabilitas ad se accomodandos ad circumstantias, sunt characteres, qui, initio morbi, satis in scrupuloso eminent.

Nunc tamquam particeps functionis realis, consideranda est *attentio* quae sinit nos percipere res *reales*. Ejus gradus maxime elatus, semper relatione habita ad nostros aegrotos, quoque proinde nullus est delicatior, est operatio, quae nobis praebet notionem *realitatis*, ea scilicet quae certitudinem fidemque determinat. Scopus perfectus attentionis est arripere quandam perceptionem vel ideam una cum sensu qui vere realitas est, idest coordinare circa hanc perceptionem, omnes alias inclinationes; nobisque probant nostri scrupulosi quod hujusmodi attentio est actus difficilis.

Consideramus nunc *memoriam*. Ipsa quoque difficultates non exhibet, neque connectitur cum functione realitatis nisi respectu unius partis suarum functionum, idest respectu contemplationis recordationum eventuum praesentium actualium, atque respectu contemplationis eventuum praeteritorum, qui utiles esse possunt praesenti conditioni.

His operationibus, quae respiciunt attentionem, voluntatem, et memoriam adiici debent quaedam *phaenomena emotiva*. Generatim emotio, quaedam est operatio sat facilis. At nonnullae inveniuntur difficultates, quando agitur de quadam *emotione omnino definita*, atque bene accommodata cuidam determinatae *realitati*, ac, praesertim, quando agitur de quadam emotione accepta et delectabili. Quod quis sciat perfecte

gaudere de tempore praesenti, scribit Janet (1), quod quis sciat de eo gaudere, quod pulchri bonique rationem in praesenti habet, esse difficilis operatio mentalis videtur.

Postremo inter *functiones realitatis*, consideranda est quaedam operatio mentalis male admodum a studiosis cognita; nimirum *nitida perceptio momenti praesentis.* Tempus equidem non est quaedam notio, quae paullatim acquiritur; ad hoc probandum sufficit memorare illusiones relate ad notionem temporis praesentis, qua infantes afficiuntur. Hic non agitur de tempore praesenti ac conventionali, de quo mathemathici agunt; ipsum enim est quaedam idea abstracta. Quoad nos, scribit Janet (2), tempus praesens *reale*, est quidam actus parum implexus, quem nos unico conscientiae statu amplectimur, etsi implexus magisque minusve diutinus sit. Respectu eorum, qui sunt distractionibus obnoxii ac realitati indifferentes, *tempus hoc praesens* protenditur vagumque restat; respectu vero spirituum activorum *hoc praesens*, breviatur atque praefinitur. Quaedam adest mentalis facultas, addit idem auctor, quae, vocabulis coactis, nuncupari posset « *praesentificatio* » *(presentificazione);* quae in hoc consistit, quod per eam, praesens reddatur status quidam spiritus, necnon quaedam phaenomenorum collectio. Difficile haud esset ostendere, quod haec operatio reapse confunditur cum praecedentibus. Etenim est actio, est attentio, est exacta perceptio cujusdam determinatae circumstantiae cum sensu suae ipsius realitatis, id, quod *praesentificationem* producit. Qua de re minime difficile est comprehendere, quod haec operatio, quae nihil aliud est nisi aspectus quidam functionis realitatis, easdem con-

(1) *Op. cit.*, pag. 491.
(2) *Op. cit.*, pag. 491.

sequenter exhibet difficultates, easdemque perturbationes.

Talis est prima hierarchiae classis, considerata in ordine ad varias functiones psychicas, quae eam constituunt, nempe: *accomodatio ad realitatem, functio realitatis,* quam facilius laesam in scrupulosis videmus.

b) Actus utilitate carentes, (atti disinteressati). — Infra hanc primam collectionem, ponenda est collectio actuum, quos Janet *vocat expertes utilitatis (disinteressati),* scil. *actuum indifferentium in ordine ad realitatem (atti indifferenti alla realtà).* Sunt eaedem operationes psychologicae, quas supra memoravimus, eo simpliciter carentes, quod, prouti nos opinamur, earum constituebat perfectionem, idest *accommodatione ad realitatem.* Id non significat, quod sint actus incoscientes, sed quod eos, minor quaedam conscientia comitatur, quae ea caret praecisione et intensione, qua prior classis phaenomenorum fruitur.

Et reapse notus equidem est quidam character multarum actionum scrupulosorum. Hi aegroti, qui prorsus inepti sunt ad seipsos gubernandos, qui indefinite dubitant propter minimam actionem, quando agitur de propria utilitate vel de proprio personali officio, prudentes fiunt, perspicaces, prompti, si aliis praebere consilia opus sit. Id ex eo explicatur, quod actio aliorum nobis indifferens est. Atque etiam tum, cum scrupulosi sunt distractionibus obnoxii, quasdam complent actiones, quas minime complerent, si attentionem praeberent.

c) Ideae abstractae. — Ad tertiam classem referuntur ideae abstractae.

Popularis opinio communis in gradu superiori in hierachia operationum mentalium ponebat illas opera-

tiones, quae non respiciunt obiecta realia, sed ideas abstractas. Verum haec opinio in errore versatur, uti jam prospexerunt moralistae, utque psychologi opinati sunt; idque omne, nostri aegroti confirmant. Revera notatum est quod scrupulosi facilius mentem figunt in ideas, quam in obiecta; atque, v. g., satis attentos se praebent, si theatralibus spectaculis adsint, sed difficiliter observant obiecta in quodam Museo collecta. Ipsis ratiocinatio facilior est, quam actio realis. Immo communiter observatum est, quod ipsi sunt ratiocinatores terribiles, qui distictiones distinctionibus, hypotheses hypothesibus addunt, quin ad certitudinem pervenire unquam capaces sint. Aeque faciles sunt his aegrotis imagines. Facilis quidem, quando memoriae legibus subiicitur — ita ut si hi aegroti incapaces sint percipiendi realitatem praesentem, nihilominus ad amussim valent revocare tempus transactum cum minimis particularibus — eo facilior haec imago evadit, quando memoriae frenum remittit. Tunc aegrotus se omnino tradit suarum idearum adsociationibus, et sic penitus obruitur speciebus inanibus *(rêveries)*. Et nos equidem scimus, quod hujusmodi inanes species *(rêveries)* locum magni momenti obtinent in vita psychica nostrorum aegrotorum, qui facile in eisdem se immergunt.

Haec facilitas quoad ratiocinia abstracta, imaginumque repraesentationem, rationem reddit cujusdam characteris, qui frequenter observatus fuit in scrupulosis, sed qui, uti Janet notat, quanti reapse intersit, sufficienter agnitum non est. Non solum hi aegroti gloriantur, quod homines cogitantes sint, sed etiam acri et interdum intelligenti pollent judicio relate ad observationem psychologicam interiorem, relate ad *auto-observationem* (1). Hujusmodi introspectio, non expostulat

(1) Id noscunt confessarii, quibus hi aegroti omnia minima suae vitae interioris narrant, et quidem cum rebus tam minutissimis ut audientes perterreant. Ipsi seipsos introspexere in om-

speciales qualitates; etenim non agitur de quadam introspectione scientifica — res equidem sat delicata — sed ea in hoc solummodo consistit, quod nos nosmetipsos introspiciamus, dum in alia re cogitationem figimus. Ea igitur prope ad ruminationem mentalem, ad *rêverie* accedit.

Atque sufficit quod in aegroto quaedam determinata curiositas oriatur, ex suis singularibus symptomatibus incompletionis inducta, ut proclivis fiat se ad se revocandum, ac ut laete huic introspectioni se tradat.

d) Emotiones. — Infra hanc tertiam classem, operatio mentalis adhuc inferior ponitur, scilicet *evolutio emotionis*, quando hujusmodi emotio, exacte relationem non habet cum perceptione conditionis praesentis. Excitatio reactionum visceralium et cordis atque vasorum sanguinis, quas emotio exhibet, esse debet elementum, quod facile suscitatur, quoniam illud persistere cernimus, et quidem in gradu tam alto, etiam in individuis magis debilitatis, quae sunt penitus incapaces functionum superiorum complendarum. Talis emotio adhuc facilior fit, tum cum characteres amittit, ob quos, formas distinctas induere poterat. Infra iram, metum, amorem, quaedam invenitur emotio, quae qualibet proprietate caret, quae nempe est quidam complexus perturbationum respirationis et cordis admodum vagarum, quae nullius tendentiae atque actionis particularis cogitationem in spiritu excitant. Id est quod *angor* vocatur, quo nulla actio mentalis est magis elementaris, quemque nos tam frequenter in scrupulosis invenimus.

---

nibus minimis particularibus. Cfr. ad rem : VASCHIDE et VURPAS, *Délire par introspection mentale.* Nouvelle Iconographie de la Salpêtiére 1901, pag. 238, *Contribution à la psychologie de la genèse des hallucinations psycho-motrices,* Archives de neurologie, 1902, pag. 464.

e) Motus musculares inutilis. — Postremo veniunt motus inutiles et male accomodati ad statum praesentem et realem. Et prius habentur τὰ *tics*, quae sunt veluti ridicula imago motuum antiquorum, qui olim adaptati equidem erant; deinceps, inferius, oriuntur *agitationes diffusae*, motus nempe inordinati, qui ad convulsionem accedunt.

Talis est hierarchia phaenomenorum psychologicorum ab Janet proposita. Ea determinata est secundum *coefficiens realitatis (secondo il coefficiente di realtà)* idest secundum relationes, quas ad realitatem dicit. Janet eam determinavit secundum id quod ex studio circa scrupulosos consequitur; sed ordo, secundum quem coordinavit varias operationes mentales, correspondet coefficienti realitatis horum phaenomenorum.

Re quidem vera in operationibus, quae respiciunt imagines ideasve abstractas, — sicut memoria, *rêverie*, ratiocinium, — relatio cum realitate, sensusque justus falsusve realitatis multum diminuta sunt. Hujusmodi phaenomena, quum respiciant tantum transactum futurumve, non habent eundem realitatis gradum, quo praesens fruitur; immo saepenumero respiciunt mentis imaginationes, quibus, nos minimum realitatis gradum tribuimus. In ultimis classibus phaenomenorum, relatio cum realitate et sensus realitatis adhuc plenius evanescit. E contra in operationibus prioris classis, et praesertim in prima operatione — in actione voluntaria — relatio cum realitate evidens est; et item patet quomodo sit assidue praesens sensus realitatis. Hujusmodi operationes, realitatem excitant, eam transformant, ejusque cognitionem tradunt majori minorive veritate, — quod res parvi momenti est — at praebent subiecto saltem impressionem et sensum realitatis. Hic character diminuitur in operationibus, quas Janet indifferentes seu

absque utilitate positas *(atti disinteressati)* vocat, quae adhuc praesentes manent, at sensum minus vivum realitatis exhibent.

Ex quo Janet concludit, quod hic character factorum psychicorum, qui consistit in excitanda realitate, in ejus cognitione tradenda, in specie saltem, in ejus indiciis praebendis, designari potest veluti *coefficiens realitatis (coefficiente di realtà)* per quod determinari potest hierarchia phaenomenorum psychicorum. Si videlicet consideretur, uti scribit Janet (1), ordo frequentiae ac rapiditatis secundum quem aegroti, de quibus loquimur, amittunt functiones psychologicas, apparet quod ipsae eo velocius evanescunt, quo superius est earum coefficiens realitatis, atque persistunt quo inferius est earum coefficiens. Hinc, idem auctor concludit, quod hae operationes quandam seriem efformant difficultatum rerumque implexarum decrescentium, prouti earum relatio cum realitate, — actione recognitionis seu uno verbo correlatione inspecta, — paullatim diminuitur. Huic dispositioni in seriem ordinatae Janet nomen dedit *hierarchiae psychologicae*, secundum quam phaenomena sequenti modo distribui possunt:

1. Functio realitatis
   - actio
     - actio agens in realitatem
       - socialem
       - phychicam
     - actio nova cum sensu
       - unitatis.
       - libertatis.
   - attentio quoad
     - perceptionem cum sensu realitatis.
     - certitudinem, fidem.
     - perceptionem obiectorum novorum
     - perceptionem personae
       - cum sensu realitatis.
       - cum sensu unitatis.
   - praesentificatio, perceptio et gaudium praesentis.

(1) *Op. cit.*, pag. 496.

2. Activitas absque utilitate exercita
   - actio habitualis.
   - actio sine sensu
     - praesentis.
     - unitatis.
     - libertatis.
   - perceptio sine sensu certitudinis.
   - cum sensu vago praesentis.

3. Functio imaginum
   - memoria pure repraesentativa.
   - imaginatio.
   - ratiocinium abstractum.
   - *rêverie*.

4. Reactiones viscerales emotionales
   - systematicae.
   - diffusae.

5. Motus musculares inutiles *(tics)*
   - systematici.
   - diffusi.

Quinam valor hujus hypothesis?

Huic interrogationi respondit Emyeu (1), quod nos eam admittere debemus tamquam verosimilem vel, salva contraria probatione, etiam tamquam, veram. Sane autem idem auctor, ad eam praefiniendam et perficiendam, nonnullas addit observationes, quas referre mihi opportunum videtur, quoniam — sicut videbimus — magni momenti practici sunt.

Ante omnia quaedam admittenda est observatio ejusdem auctoris, iuxta quam in summo gradu ordinis psychologici ponenda est actio moralis. Re quidem vera ea repraesentat supremam accommodationem ad realitatem; siquidem complectitur omnes difficultates actionis voluntariae socialis, necnon praeterea habet alias qualitates, quae considerandae sunt, quando actio moralis complenda est.

Adhuc observandum est quod *coefficiens realitatis*, de quo loquitur Janet, non est aliquid absoluti, sed ali-

(1) *Op. cit.*, pag. 155.

quid essentialiter relativi et mutationi obnoxii. Alia atque alia est realitas. Emyeu (1) scribit: « In nostro casu particulari agitur de realitate psychologica. Atque in hoc rerum ordine, id dumtaxat est reale, quod est consciens. Facta heri crasve vel etiam momento actuali peracta, si penitus meam fugiunt conscientiam, nullam quidem partem obtinent in difficultate ejus accommodationis ad realitatem, ejus organizationis, ac, sub hoc respectu, pro nihilo habentur. Patet ergo quod haec accommodatio ad realitatem, formula quaedam est, quae, in suis practicis applicationibus, nequaquam exprimit eundem valorem; quia realitas, de qua agitur, modificationes excipit non solum in singulis hominibus, sed singulis momentis, et quidem in eadem conscientia. Ex eo quod aliquis homo se, quodam momento, ad realitatem accommodat et, alio momento, se non accommodat, non est concludendum, quod is quadam tensione et eo minus quadam debiliori potentia vitali fruatur. Ante omnia enim necessario esset scire quanti habeatur in priori et in altero casu hujusmodi realitas. Idiota se bene accommodat ad id, quod ipse noscit constituere realitatem, et melius quidem ad eam se animal accommodat. Hierarchia igitur psychologica neque est neque esse potest quaedam regula externa, obiectiva, semel pro semper gradatim disposita ac ordinata, quae adhibenda sit ad varias inter sese comparandas conscientias ut differens mensura obtineatur. Ea non inservit nisi ad demonstrandum, quomodo in eadem conscientia, quodam momento, actus superponantur, respectu habito ad eorum executionem ».

Alia observatio, praecedentibus addenda, est quod difficultas singulorum actuum perficiendorum non quidem augescit, respectu dumtaxat habito ad realitatem. Id tum solummodo verum est, cum aequales sunt omnes

(1) *Op. cit.*, pag. 165.

aliae phaenomeni conditiones. Convenit igitur rationem habere actuum complexionis, qua augescente, etiam actus ipsius difficultas augetur. Itaque nos intelligimus, quomodo actus aliquis tertiae classis phaenomenorum (v. g., fabulam legere) difficilior evadere possit, necnon majorem exigere tensionem vitalem, quam actio quaedam valde simplex prioris classis, prouti esset, v. g., filum in acum conjicere. Ad aestimandam ergo difficultatem, quam phaenomenon quoddam exhibet, non solum perpendendum est ejus coefficiens realitatis, locumque quem consequenter occupat in hierarchia psychologica, sed etiam ejus gradum complexionis. Re quidem vera actus quidam decies magis implexus, quam alter ejusdem ordinis, ille est, qui excitare et coordinare debet numerum elementorum decies majorem; atque hae binae res difficultatem multiplicant. Ex hac vero explicatione, non solum intelligere possumus, quod difficultates augescunt, augescente complexione, sed etiam rationem propter quam actus superimponuntur in hierarchia psychologica, juxta ordinem indicatum. Et revera actus psychologici eo magis sunt implexi, quo magis — constantibus remanentibus ceteris elementis — elatum est eorum coefficiens realitatis; siquidem tantundem numerosiosa sunt elementa concreta, quae illud praesefert. Idea generalis equi reperietur in idea praecisa hujus talis equi, in talibus circumstantiis visi, ideoque talem colorem, talem formam, etc. habentis. Ea sponte commiscebitur cum idea generali cujusque harum particularitatum, necnon cum omnibus sensationibus, quae exinde emanant: et, ad realitatem reducendam impressionem, conscientem, praecisam, omni cum securitate admissam, hujus equi, necesse insuper erit omnia haec elementa sociare, eaque usque ad quandam justam mensuram evolvere, in suis lineamentis continere, inter sese comparare, unicuique suum tribuere locum, uno verbo, ea per syntesim in unum col-

ligere, mediante quodam determinato conatu mentali. Facile intelligitur, quod idea equi locupletatur, tantoque implexa fit, quanto eadem se ad realitatem accommodat; atque haec complexio exprimit difficultatem, quam importat, et consequenter tensionem vitalem superiorem, quam hujusmodi accommodatio expostulat.

Hae igitur explicationes, quas tradit P. Emyeu (1), illustrant atque confirmant hierarchiam psychologicam, quam Janet proposuit; ultraque gradi permittunt. Phaenomena, cum ejusdem ordinis non sint, sicuti in exemplo allato, possunt, ratione cujusdam specialis complexionis, difficiliora fieri, sensu inverso hierarchiae. Praeterea si ita dumtaxat crescit difficultas, ex facto, quod idea generalis in praecisam perceptionem mutatur, ea crescere debet, et quidem enormiter, quando pervenire oportet ad quoddam judicium vel ad quandam seriem judiciorum, in quandam *practicam* deliberationem collectorum. Ex quo tandem cernimus quibus de causis deliberatio, quae refertur ad inclinationem magis amatam, necessario fiat operatio psychologica, qua nulla est difficilior, quaeque propterea in summo hierarchiae gradu ponitur.

Et reapse ea ex omnibus maxime implexa est. Ipsa jam pertinet ad actiones superiores, idest ad sociales, atque respicit actum moralem socialemve, ideoque altiori indiget coefficienti realitatis. Sed insuper ea est, qua nulla majorem praebet utilitatem. Propterea quod ea illa est, quae magis cordi est, ac idcirco connectitur cum inclinatione, qua nulla est profundior, quae constituit nucleum conscientiae ad quem omnes actiones convergunt, et ex quo omnes alii sensus emanant, nempe idcirco ea connectitur cum omnibus aliis phaenomenis psychologicis propter adsociationem idearum, eaque secum ducit. Neque satis; ea respicit subconscientiam omnesque ejus inclinationes per diversas connexiones, — adsocia-

(1) *Op. cit.*, pag. 155.

tiones vel oppositiones, etc. Id, complexionem hujusmodi actionis ostendit, difficultatesque praedicit.

Magni ergo momenti est, haec notio complexionis actus, cuius officium aestimandum est in stabilienda ac interpretanda hierarchia psychologica. Est complexitas actus, illa quae determinat mensuram difficultatis psychologicae cujusdam determinati actus.

§ 6. — De tensione psychologica.

Alia hypothesis, quae est necessaria ad formandam theoriam psychastenicam, est hypothesis tensionis psychologicae, quam hic suis fundamentalibus lineis exponam.

Facta psychologica, cum pertineant ad categoriam factorum vitalium, quandam habent causam in vita. Porro haec vita esse debet in quodam statu conatuve particulari, quoniam vita, observat Emyeu (1) est continua in vivente atque in toto suo *esse* diffusa, dum vis, de qua est sermo, non se manifestat, saltem quoad sensationes, nisi in quibusdam determinatis corporis punctis. Procul dubio de vita agitur in talibus organis atque in talibus reposita functionibus; sed facta, quae egomet in scrupulosis inspexi, mihi monstravere, quod facultates aut organa vivere possunt, atque etiam recipere possunt impressiones realitatis obiectivae, quin eis correspondant plene saltem, actus psychologici, qui essent eorunden reactio normalis. Arcana vis, quae hujusmodi actus producit, quamque nos nisi definiendam, saltem introspiciendam curamus, pluris igitur est quam vita, quae in hac aliave re adhibetur. Ea nihil aliud est nisi vita, at cum quadam intensione conjuncta.

Aliunde vero fieri non potest ut quaedam vis concipiatur, quae suam exerceat actionem, quin habeat quandam tensionem. Si vis quaedam nullo modo agat,

---

(1) *Op. cit.*, pag. 138 et seq.

si quandam non habeat tensionem, nihil producit. Et haec lex communis est. In qualibet ergo activitate vitali, sicuti in qualibet vi, in actu, quaedam inest tensio. Verumtamen id non sufficit. Necessarium est quod tensio ad quandam certam mensuram perveniat. Sic, v. g., ad illuminandam lampadem electricam non sufficit praesentia currentis electricae, sed requiritur quod ea, quandam determinatam tensionem habeat, scilicet quod perveniat ad quandam determinatam mensuram, seu ad suum sic dictum « *voltaggio* ». Idem fere accidit quoad facta psychica. Non sufficit quod individuum vivat, ut psychologici, i. e. conscientes, sint ejus actus; sed ejus vita perveniat oportet ad quandam determinatam tensionem.

Aliunde si inspiciatur factum quod, vita conscientiae superimponitur vitae organicae, si adhuc inspiciatur, quod in evolutione vitae hominis, vita conscientiae paullatim formatur, atque, ex contrario, quod, tum cum vita ab homine recedit, vita conscientiae prior evanescit, concludendum est quod activitas psychica, quum sit activitas quaedam superior, requirit quandam tensionem vitae plus minusve intensam, prouti postulat actus implendus, quae tamen semper superare debet determinatam quandam mensuram.... Nuncupata est *tensio psychica*, tensio vitalis ad gradus superiores elata, capax producendi, praeter vitam organicam, etiam actus conscientiae.

Notio *tensionis psychicae*, non equidem nova est in psychologia. Janet (1) meminit scripta Spencer (2), Höffding (3), Bergson (4), Manouvrier (5), in quibus in-

(1) *Op. cit.*, pag. 506.
(2) *Principes de psychologie* (trad. franc.) I, pag. 635 et seq.
(3) *Manuel de psychologie*, cap. VII.
(4) *Matiére et memoire*, pag. 231.
(5) *Revue de l'hypnothisme*, 1874, pag. 229 232.

nuitur, quod diversi habentur gradus tensionis psychologicae, quodque hujusmodi gradibus diversis non solum quaedam correspondent modificationes tensionis, sed etiam quaedam modificationes magni momenti qualitatis naturaeve in his phaenomenis ipsis. Exacta determinatio hujus notionis debetur Janet, qui notiones respicientes tensionem psychologicam juxta alias spectantes ad hierarchiam psychologicam, adduxit.

Gradus tensionis psychologicae, seu gradus activitatis psychicae, qua subiectum utitur, manifestatur per gradum, quem in hierarchia occupant phaenomena magis elata, ad quae subiectum pervenire potest. Functio realitatis cum actione, perceptio realitatis, certitudo, quoniam maximum gradum tensionis exigunt, sunt phaenomena altae tensionis ; species inanis *(rêverie)*, actio motrix, emotio, quoniam tensionem valde inferiorem exigunt, considerari possunt tamquam phaenomena, quae requirunt dumtaxat tensionem quandam inferiorem quaeque in subiecto ostendunt minimam quandam tensionem psychicam.

Ut autem hanc notionem tensionis applicare possimus ad explicanda symptomata a scrupulosis exhibita, necessarium est determinare hanc notionem tensionis psychicae; quod faciendum curabimus, applicando ad hanc notionem, leges equidem notas respicientes sic dictam *energeticam*.

Notiones *energeticae* laboris perfecti, fundamentum doctrinae circa *energeticam*, notiores sunt quam quas exponere instemus. Memorare sufficiat, quod *energetica* statuit quandam determinatam relationem aequivalentiae inter vim, quae quandam determinatam operam complet, et operam, quam ea effecit. Et, quoniam in viventibus quandam determinatam operam effectam habemus exinde admittere possumus etiam in iis quandam inesse particularem vim, quae operam vitalem efficit, quaeque vis vitalis vocatur. Et insuper, quoniam demonstratum

est fieri non posse ut facta vitalia reducantur ad facta mechanica, physica, et chemica (1), proinde tenendum est quadam vi sui generis opus esse ad actus vitales complendos. At, si vis vitalis proprio quodam modo agendi utitur, ea quandam exhibere debet proprietatem, quae eandem distinguat a ceteris viribus, prouti sunt vis calorifica, electrica, etc. Hic character, cujus causâ vis vitalis ab aliis vis formis dinstinguitur, in hoc consistit, quod ea producat unitatem in complexitate, et individuum constituat, mediantibus particulis separatis. Vis vitalis est vis unitatem causans, seu est *vis unificans* (2).

Inter vitae manifestationes, varias possumus distinguere formas. Ex his maxime elata est vita psychica, quae quidem etiam exquirit quandam particularem vim, quae variis de causis reduci non posse dicenda est ad alias formas vis vitalis (3). Atque haec quoque eundem characterem fundamentalem habet. Nimirum etiam vis psychica, est vis quaedam quae unificat, quae unitatem in multiplicitate causat; omogeneum in heterogeneum, id quod est permanens cum eo quod instabile est. Habemus igitur quandam potentiam unificationis, quae est vis vitalis et psychica. Gradus autem unificationis exprimit tensionem hujus vis psychicae.

Determinata, tali modo, notione tensionis, ad eam applicare possumus formulam *energeticae.*

Re quidem vera, scribit Emyeu (4), hujusmodi uni-

---

(1) Haec demonstratio heic supponitur. Ad rem cfr.: opus nostrum, cui titulus: *L'enigma della vita,* Libr Editr. Fiorent. Firenze 1909.

(2) HÖFFDING, *Esquisse d'une psychologie basée sur l'experience.* Paris, 1903, 2° Edit. pag. 184.

(3) Cfr. quoque GRASSET: *Revue de Deux-Mondes,* 1 Dic. 1909, pag. 639. Ad rem cfr.: GEMELLI, *Le fondement biologique de la psychologie,* " Revue Néo-Scolastique „ mai-aôut 1906.

(4) *Op. cit.*, pag. 144 et seq.

ficatio, quae vim vitalem constituit, in actu est unificatio alicuius rei; (v. g. talium elementorum, in tali numero, talis naturae) hujusmodi *aliquid*, quod proinde pro sua parte effectum habitum tangit, laborem nempe vitalem effectum, suum tribuit characterem vi operanti; idque contingit sumptibus gradus per quem unificatio efficitur, sumptibus tensionis; siquidem id, quod vita consumit ad partem quandam suorum effectuum obtinendam, ex altera parte parcendum est. Vis vitalis non est infinita; at suos habet limites. Idque non accidit virium materialium ad instar; revera ea, quin extinguatur, usu se evolvere videtur, ita ut dicendum esset quod fons, ex quo profisciscitur, tanto effodendus sit, quanto ex eo hauritur. Attamen, quolubet momento considerata, ea est, hoc non obstante, magnitudinis exactae et finitae. Labor, quem ipsa producit, duos aspectus comprehendit, vel, si placeat, binas causas efficientes; gradum nempe per quem completur unificatio, seu tensionem, ac naturam numerumque elementorum super quae ea exercetur, seu qualitatem. Jamvero planum est quod opus sit quadam vis quantitate centies majori, ut in unum cogantur atque assimilentur centum elementa, quam ut unum tantum ejusdem naturae assimiletur. Atque, etsi vis in actu eadem sit in utroque casu, tamen gradus quocum effici potest unificatio, minor centies erit quam in priori. Ergo eadem quantitas vis, duos obtinet modos qui adhiberi possunt. Ea referre se potest ad quendam parvum numerum elementorum, ac tam tensionis acquirere quam amittit quantitatis; vel ex contrario respicere potest quendam magnum numerum elementorum ac tam acquirere quantitatis quam amittit tensionis.

Revera, quum vita omni ope enititur ad quandam solvendam quaestionem aut quandam ideam meditandam, se tantundem a corpore retrahere videtur. Atque, quum ipsa consumitur in organis reparandis, uti in in-

fantia, in convalescentia somniove, aut simpliciter in digestione, vere eo magis decrescere videtur, quo magis augescit extensio hujus laboris; siquidem tunc nos inspicimus, quod phaenomena, quae superiorem tensionem requirunt, nempe phaenomena vitae psychicae, decrescunt vel etiam evanescunt.

Dici ergo potest quod, quodam determinato valore vis vitalis inspecto, tensio haeret ratione inversa quantitatis. Ipsa se elevat, prouti diminuit quantitas, et vice versa. At vis vitalis non est fixa; ipsa fluctuare potest sub influxu causarum male quidem cognitarum. Si tunc supponatur quantitas stabilis, videlicet si supponatur quod in quodam determinato actu, numerus naturaque elementorum conjungendorum minime se modificentur, augmentum vis, totum semper erit in utilitatem tensionis; aliis verbis; tensio fluctuabit in ratione directa vis. Emyeu (1) huic conclusioni applicavit notissima formula *energeticae;* scilicet:

$$E = T\ Q$$

$$\text{aut:} \quad T = \frac{E}{Q}$$

in qua T est tensio, E energia, Q quantitas. Secundum hanc formulam: tensio (T) est in ratione directa energiae (E) atque in ratione inversa quantitatis (Q).

Notat idem auctor hanc animadversionem non esse purae curiositatis. Ipsa nobis monstrat quod medium ad tensionem psychologicam relevandam est modificatio, modo convenienti, valoris energeticae in actu, aut quantitatis. Si has modificationes obtinere possumus, nos introspicere possumus quaenam sit praxis adhibenda pro cura therapeutica scrupuli. At de hac re hic immorandum non est; potius examinanda occurrit alia quaestio magni momenti.

---

(1) *Op cit.*, pag. 148 et seq.

§ 7. — De fluctuactionibus tensionis psychicae.

Prouti Janet observat (1), cognitio variationum gradus tensionis psychicae magni est momenti quum agitur de interpretatione formanda circa symptomata psychasteniae. Re quidem vera ipse fundat suam doctrinam pathogeneticam circa scrupulum in hoc facto. Convenit igitur aliquid saltem dicere de hujuscemodi variationibus tensionis psychologicae.

En quomodo Janet representat perturbationem fundamentalem psychasteniae.

Certo quodam momento incipiente, ob causas diversas, quas inferius enumerabimus, in his individuis depressio quaedam tensionis psychologicae ac nervosae supervenit. In quibusdam, hujusmodi depressio inchoata, definitiva manet per longum temporis spatium. In aliis autem raptim evanescit, ut quamprimum iterum appareat. Praeterea haec depressio magis minusve intensa est, pro diversitate individuorum.

Jamvero hisce variationibus modo omissis, admittere possumus quod haec depressio existit in omnibus scrupulosis incipiente morbo, etsi magis minusve diuturna esse possit necnon majoris minorisve intensitatis. Juxta ea, quae superius retulimus, idem hoc significat ac si dicamus, quod in nostris aegrotis, quodam temporis momento, quaedam phaenomena superiora, — veluti, functio realitatis, certitudo, gaudium, dolor temporis praesentis, notio momenti actualis, — fiunt impossibilia, dum ex contrario quaedam aliae operationum collectiones — veluti, actiones et perceptiones indifferentes, vel cum distractione peractae, et a fortiori ratiocinia, emotiones male coordinatae, — facilia manent. Quod clare consequitur ex his quae superius diximus circa insufficientias psychologicas.

(1) *Op. cit.*, pag. 107 et seg.

Aliunde vero, haec depressio tensionis quandam habet correlationem etiam cum depressione tensionis vitalis ; siquidem hi aegroti conditionibus organicis malis fruuntur propter diminutam nutritionem generalem et propter inordinatam permutationem generalem. Janet casum refert cujusdam aegrotae, quae sane bene describebat hanc depressionem tensionis psychicae initio morbi productae, sequentibus verbis: « Illo temporis spatio, sic scribit aegrota, cum prima apparuere symptomata, omnia a me abierunt; instar lucis erat id, quod a me recedebat lente quidem, sed continenter.... Magna afficiebar tristitia, at, quin rationem noscerem, in me neque sperabam, neque confidebam...; primum credidi, esse meam fidem religiosam id, quod a me discedebat, sed quod mihi exacte deesset nequaquam determinare potui...; magnam experiebar difficultatem in iis faciendis quae antea magna cum facilitate peragebam. Quasi velis quibusdam obtendebar, quae me impediebant, quominus viderem, quominus agerem, quae me impediebant, v. g., quominus me poeniteret peccatorum meorum, tamquam si mea fides abscederet. Serius in me alios sensus diminuere, gaudium, doloremque deficere percepi. Mei ipsius cor obdurescere mihi videbatur....; mihi agenti, libertas auferri videbatur.... ». Serius autem huic aegrotae, omnia symptomata, morbi propria, supervenere.

Inest igitur in his aegrotis, observat Janet considerando hanc observationem aliasque similes, phaenomenon quoddam primitivum et essentiale, quod consistit in amissione operationum psychicarum, quas in hierarchia superius relata, tamquam superiores designavimus. Hoc ergo reassumi potest dicendo, quod adest depressio quaedam tensionis psychicae.

Si rapida hujusmodi depressio occurrit, eam Janet vocare proponit « *delapsus tensionis* » *(caduta della tensione)* ac hujuscemodi crisim vocat « *crisim psycho-*

lepsiae » *(crisi di psicolepsia);* si autem depressio durabilis est tunc constituit « *statum psychasteniae* ».

Hujusmodi *delapsus tensionis psychicae* determinari potest variis de causis; v. g., ex febri typhoidaea, ex influentia, ex graviditate pathogenica, ex sic dicto « *surmenage* », sive physico sive morali, ex emotionibus, etc.

Inter fluctuactiones, habetur etiam quaedam elatio tensionis psychicae, eaque satis saepenumero notatur cum morbus melior fieri incipit. Hujusmodi periodi, cum morbus melior fit, ab Janet nuncupantur « *momenta clara* » *(istanti chiari).* Aegrota, de qua superius loquuti sumus, quibusdam utebatur temporis intervallis, cum in profundum praecipitii non abjiciebatur, more solito, atque se « *minus indignam* » sentiebat. Denuo ipsi affulgebat fides in Deo, necnon fiducia in propriis viribus, liberioremque se sentiebat, etc. « Ideae, ipsa aiebat, sunt minus vagae magisque praecisae, minusque complicatae, recordationes nitidiores evadunt ». Iis temporis intervallis se laetiorem, magis activam sentiebat, magisque attentionis seu curae rebus circumstantibus praebebat. Eodemque tempore, obsessiones recedunt, ruminationes mentales atque phobiae decrescunt, sensus incompletionis evanescit; ac quaedam habetur restauratio functionum superiorum voluntatis, attentionis, functionis realitatis. Haec melioramenta tensionis determinantur ex variis causis, veluti ex substantiis excitantibus, ex vitae permutatione, necnon ex habitudinibus, ex motu, ex conatu. Notatur beneficus influxus attentionis, ac nonnullarum emotionum. Istae omnes causae quandam determinant elationem tensionis psychologicae, et una simul amissionem crisium psycholepsiae.

§ 8. — **Conclusio.**

Ita etiam studium circa tensionem psychicam confirmat id quod supra exposui, videlicet in profundo scrupulorum, quoddam exstare phaenomenon: *diminutio nempe tensionis psycologicae.*

Tunc vero patet conclusio, *scrupulum nempe tum produci cum non amplius habetur proportio inter tensionem vitalem, de qua aliquod individuum fruitur, et difficultatem superandam, sive augescat difficultas, sive etiam decrescat tensio.*

Verumtamen ut istiusmodi opinio admittatur, eam ulterius evolvamus oportet.

Caput sextum.

De interpretatione symptomatum scrupulosi.

1. *Interpretatio obsessionum.* — Status obsessivus, effectus depressionis tensionis pshychicae. — Ratio inutilitat's conatuum peractorum ad adipiscendam certitudinem, deducitur ex insufficientia tensionis psychicae. — Mechanismus originis ideae obsessivae. — Influxus praedispositionum determinantium depressionem tensionis psychicae. — Characteres ideae obsessivae sub respectu hujus theoriae considerati.
2. *Interpretatio insufficientiarum.* — Insufficientiae psychicae et physiologicae, tamquam effectus insufficientiae tensionis psychicae.
3. *Interpretatio sensus incompletionis.* — Ipsi sunt effectus difficultatis, qua scrupulosus afficitur ad perficiendos actus determinatos necnon difficultatum quae, obstant quominus hae difficultates superentur.
4. *Interpretatio agitationum coactarum.* — Hae sunt phaenomena deviationis, substitutionis, derivationis.
5. *Interpretatio systematizationis phaenomenorum fundamentalium et phaenomenorum secundariorum seu derivatorum.* — Systematizatio habetur quia difficultates respiciunt solummodo determinatos actus. — Systematizatio derivationis, tamquam effectus conatus a subiecto peracti ad se subtrahendum a sensibus incompletionis.
6. *Conclusiones.* — Scrupulus est manifestatio psychasteniae, et symptomata status scrupulosi nos interpretamur tamquam symptomata hujus status.

Ut melius intelligatur summaria enuntiatio doctrinae de insufficientia psychica (seu de psychastenia) tanquam explicatio status morbosi a scrupuloso exhibiti, de qua enunciatione rapide egimus in postremis lineis

capitis praecedentis, convenit ut nunc examini subjiciamus complexum symptomatum, quibus scrupulosus afficitur. At, dum in praecedentibus capitibus analytice studuimus symptomatibus scrupulosi ad acquirendam accuratam descriptionem eorum, nunc convenit ea synthetice considerare ut cognoscere possimus eorum mechanismum quum producuntur, necnon eorumdem colligationem. Si talis interpretatio critice sustinebitur, rationem sufficientem habebimus ut retineamus respondentem factis, quos ad explicandos tendit, theoriam psychasteniae.

§ 1. — Interpretatio obsessionum.

Character dominans scrupulosorum, uti vidimus, est quod hi aegroti sunt incapaces certitudinis acquirendae circa determinatam quandam quaestionem et praesertim circa eam, quam resolvere pluris ipsorum interest. Hujusmodi incapacitas conatusque ad eam superandam, statum obsessivum determinant. Profecto hi aegroti alia exhibent phaenomena, v. g., agitationes coactas; sed ad ea attentionem non revocamus, neque vero sunt phaenomena characteristica, sed potius phaenomena collateralia. Phaenomena fundamentalia sunt mania dubii, mania inquisitionis, quae sunt consequentiae insufficientiarum (ex. g. deficientia vel diminutio sensus realitatis). Ipsae constituunt perturbationem fundamentalem et determinant statum obsessivum.

Ut igitur methodo logica cognoscere possimus, quomodo inter se connectantur varia phaenomena a scrupuloso exhibita, ea analysi subjicere debemus progrediendo a studio manifestationum exteriorum, uti sunt status obsessivi, ad studium causarum determinantium, videlicet ad studium insufficientiarum, sensuumque incompletionis cum illis colligatorum, ut exinde progredi

possimus ad studium phaenomenorum secundariorum seu derivatorum, nempe agitationum.

Exordium ergo sumamus a consideratione *obsessionum*,

Superius observavi quod scrupulosi nobis exhibent phaenomenon incapacitatis ad consequendam certitudinem circa quandam determinatam quaestionem, et praecise circa eam, quam resolvere pluris ipsorum interest. Si in memoriam reducamus theoriam superius expositam circa tensionem psychicam, necnon notionem hierarchiae factorum psychicorum, facile intelligimus cur, quum vis voluntatis deprimitur, facultates attentionis et sensibilitas in genere deprimantur, scilicet cur, quum tensio psychica depressa est, quidam certus actus, et quidem hic solus, impossibile sit ut compleatur. Impotentia ad hunc actum complendum, incapacitas certitudinis adipiscendae dumtaxat relate ad quemdam determinatum actum, dependet, secundum theoriam expositam, ex deficientia proportionis, quae adest inter tensionem vitalem, qua scrupulosus utitur, et phaenomenon psychicum, quod ipse efficere conatur. Atque haec impotentia, supra hanc deficientiam proportionis fundata, in primis et ante omnia enascitur relate ad actum, quem perficere pluris aegroti interest, praecise quia talis actus, quum sit quoad ipsum, omnium maxime complexus, fit quoad ipsum difficillimus ac necessario ponitur in summitate hierarchiae psychicae. Sicut praeclare eloquitur Emyeu (1), quemadmodum tum, quum maris aestus minuitur, primum altissimi arenae tumuli arescunt aut prominentissimi scopuli, sic tum, quum energia vitalis deprimitur, altissima culmina vitae emergunt.

Ut intelligatur quomodo hoc contingat, in memoriam redigere sufficit notionem hierarchiae psychicae superius expositam; secundum hanc notionem non om-

(1) *Op. cit.*, pag. 164.

nia phaenomena semper praebent eandem difficultatem neque semper exigunt eundem gradum tensionis psychicae. « Homini, ait Janet (2), non necesse semper est adhibere suum maximum conatum; neque is semper perfecte perveniat oportet ad altissimos gradus hierarchiae psychicae, etiamsi hoc facere capax evadat. Nos saepe numero agimus quin opus, singulis momentis, sit sumere deliberationes voluntarias, novas determinationes quae nostram vitam transformant; nos cogitamus quin opus, singulis momentis, sit seligere inter id quod certum scimus, et id quod nescimus. Scilicet non oportet nos semper adipisci certitudinem ad operandum.... ».

Jamvero ita quoque accidit relate ad illam perceptionem realitatis, quae ducit ad securitatem decisionis, ad certitudinem. Censendum autem non est quod enormis labor psychicus requisitus ad hunc finem, efficiatur singulis momentis, simul ac oculos aperimus. Nos laborem, qui ducit ad perceptionem realitatis, paullatim perficimus, ipseque sufficienter memoriae nostrae adhaeret, ut impressio realitatis subsistat, quamvis momento actuali, nos contenti simus de quadam perceptione ad tractus essentiales redacta. Uti jam alii studiosi dixerunt, nos percipimus symbolis; signum aliquod, imago quaedam nobis sufficiunt ad recognoscendam aliquam personam, nobisque vage scire sufficit quod aliqua attentione nos duceremus hanc perceptionem ad gradum quendam completum certitudinis et realitatis. Haec simplex idea nobis sufficit ad nos confirmandos, eaque efficit ut unicuique perceptioni characterem realitatis tribuamus. Uno verbo tantummodo in quibusdam psychicis operationibus manifestatur ille gradus tensionis phychicae completus, maximus, qui in aliis penitus inutilis est. Manifestum ergo est quod, solum quum nostri aegroti perfecturi erunt hujusmodi actus, eorum status

(2) *Op. cit.*, pag. 579.

pathologicus manifestabitur (1). Et adhuc, eodem conceptu usi, intelligimus cur obsessio tam frequenter respiciat actus religiosos aut morales, quos requirere vidimus maximum tensionis psychicae. Ad rem Emyeu (2) refert particulam literarum cuiusdam sui aegroti: « Interdum mihi dico personas, quae religionem non colunt, multo me feliciores esse; illlae saltem non habent moerores (scrupulos) quos ego hoc momento sentio ». Enimvero in hoc aegroto actus religiosus propterea est difficilis quia ille ad summum gradum utilitatum stat, et etiam quia, simul stat ad summum hierarchiae psychicae. Et hoc quidem verum est, observat idem auctor; obsessio respicit facta religiosa et moralia in iis qui fidem habent aut vitam moralem degunt, ea se refert ad aliquam aliam rem in iis qui nec fidem habent nec moralem ducunt vitam, quoniam semper aliquid exstat quod ad psychastenicum quod spectat, constituit principalem praeoccupationem.

In quibusdam autem casibus tensio tam minuitur, ut quodlibet desiderium consciens ac deliberatum fiat nimis implexum, nimis difficile neque possit in pace ad realitatem pervenire (3). In aliis casibus haec omnia de-

---

(1) Ex quo consequitur, curiosa equidem res, quod inveniri possit aliquod individuum quod, ignarum, psychastenicum sit. Ex eo enim quod ei opus non est totam suam adhibere tensionem, perspicere nequit ipsam diminutam esse. Et hoc persentit tum quum circumstantiae illud impellunt ad actum quendam, qui quandam superiorem tensionem requirit. Id propterea contingit, uti demonstravimus, quia solummodo quaedam actio determinans illa est, quae fieri non potest ut ab his aegrotis perficiciatur; est solummodo quidam determinatus motus, qui se in quoddam *tic* transformavit; est solummodo quaedam operatio mentalis, quae, se continuo renovando, eos torquet.

(2) *Op. cit.*, pag. 164.

(3) Emyeu hoc affert exemplum: « Officium suum praestandum est; jamvero, numquid, malum est sibi aliquid gaudii concedere; et hoc quidem satis gaudii mihi afferret », *loc. cit.*, p. 165.

sideria renectuntur, mediante quadam adsociatione idearum, cum obsessione principali, quacum totum quoddam efformant.

Aliud factum notatu dignum, quod praetermittendum non est, quodque e contra suo loco collocare debemus in theoria, cuius principales lineas perscrutamus, est quod omnia experimenta psychastenici ad certitudinem adipiscendam adversus quoddam grave obstaculum infringuntur, neque ad aliud inserviunt, nisi quod ejus impotentia in majori luce prodeat, et etiam augescat.

Hoc factum facile intellectu evadit si consideretur, uti postulat theoria, quod impotentia psychastenici ad quandam actionem complendam, derivatur ex nulla proportione existente inter tensionem psychicam, qua aegrotus fruitur, et eam qua indiget ad complendam illam determinatam actionem. Si ei obstinatum est, scribit Emyeu (1), utens expressione vulgari sed usu sacrata, dentibus arripere lunam, potest equidem conatus multiplicare, attamen suum nequit obtinere finem. Imo, quo magis ipse inutilibus conatibus sua media, suamque energiam dissipat, eo magis is deprimit tensionem vitalem jam debilem, eodemque magis atque magis difficiliorem reddit actum, quia haec experimenta repetita magis et magis agitant profundum eius conscientiae, ac efficiunt ut novae ideae exurgant colligando cum circumstantiis exterioribus novas adsociationes magis magisque impedientes, ita ut actio perficienda se magis elevet relate ad gradum difficultatis, dum, eodem tempore, tensio vitalis minuitur ac magis magisque major fit differentia inter tensionem et necessitudinem.

Nunc contendamus ut cognoscere possimus quomodo surgat idea obsidens atque determinamus, duce theo-

(1) *Op. cit.*, pag. 165.

ria pathogenetica, mechanismum actionis variarum causarum efficientium.

Ante omnia memoriam revoco, quod inter scrupulosos nonnulli inveniuntur qui antecedenter nihil morbosi exhibent, quique ergo videntur tensione psychica normali ad obsessionem pervenire. Quod, scribit Emyeu, minime (2) inexplicabile est. Sufficit quod nulla statuatur proportio inter media, quae subiectum possidet et necessitudinem, ut ita approbetur obsessio insurgens; in hoc casu necessitas, difficultas, se elevat supra id quod normale est. Numerosi equidem sunt casus vitae communis, in quibus obsessio surgit propter quandam asperam exaggerationem difficultatis superandae.

Ita, scribit idem auctor, si cuidam villico, qui bona fruitur valetudine, qui intelligentis judicii est, qui bene regit suam villicationem, repente veniat quoddam latifundium, quo fit locuples quoque ipse cogitur ad graves superendas difficultates, quas nanciscitur, ut illud rationabiliter colat, timor subit animum ne ei prope sit obsessio.... Pluries vidimus obsessionem aggredi quendam optimum opificem ex die, quo rector fit cujusdam opificii. Atque obsessio in hoc casu determinatur ex difficultate rerum agendarum. Dum is fruebatur magnitudine sui muneris usque in illum diem; tum quum ejus munus elatum fuit, manifesto apparuit deficientia aequilibrii. Quaedam juvenis puella, cupiens esse pura, non solum nihil pati vult, quod umbra suum desiderium aspergat, sed ne minimum quidem dubium permittit ut habeatur de tempore transacto, ac trepidat si quaedam *mala cogitatio* eam carpit; ipsa in hoc momentum suae vitae omnes suas inquisitiones compellit, de eo moerens ac in illud conferens suam attentionem, omnes suas vires, ut consequatur evidentiam formalem et absolutam se in tali cogitatione nullam admisisse culpam. Haec

(2) *Op. cit.*, pag. 170,

puella, quae plus cupit quam quod cogitatio humana concedere possit, cuique obstinatum est adipisci certitudinem, sine mora iter in scrupulum versus facit. Avarus quam plurimis utitur sollicitudinibus ut suum thesaurum subtrahat vel a minimo periculo; zelosus contendit ut cognoscere possit intima suae sponsae consilia, ut certus sit de ejus fidelitate. Atque idem auctor prosequitur: « Quidam, obsessione laborans suam uxorem non mereri suam affectionem, ad me quodam die se contulit cum magna congerie chartarum, quas vocabat sua documenta, mihique dixit: " Libero animo esse cupio: lege, mihique proba, et quidem *mathematice* ejus vitam, nulla esse dignam reprehensione „. " *Mathematice?* „ ego respondi. " Mea non refert „. Quod in talibus circumstantiis probatio mathematica exigatur, idem est ac finem altius elevare quam quem tensio vitalis attingere possit, atque in distantia, quae intercedit conatum inter et finem consequendum, stat obsessio ». Haec omnia omnino conformia sunt theoriae a nobis expositae, quamque Janet emisit.

Defensores theoriarum intellectualistarum et emotionalium tuebantur originem idearum obsidentium explicari mediante actione mundi exterioris super subiectum, et proinde considerabant ideas obsidentes veluti productas a causis exogenis. Jamvero, sane observat Janet (1), hae ideae obsessivae non exhibent quandam diversitatem sufficientem ita ut connecti possint, tamquam cum causa propria, cum circumstantiis exterioribus, quae diversimode reddere potuerunt emotionale subiectum. Ultimatim hae omnes ideae referuntur ad quendam parvum numerum obsessionum fundamentalium, prouti sunt obsessiones sacrilegii, delicti, morbi, etc.

(1) *Op. cit.*, pag. 594.

Hujusmodi ideae obsessivae funditus continent cogitationes respicientes personam, actus, ideas, corpus, potius quam representationem obiectorum eventuumque exteriorum. Admittendum ergo est, quod ideae obsessivae psychastenici producuntur, opinione latius, ex ipsius subiecti profundo; eae scilicet non sunt, quod ad originem, exogenae, sed endogenae.

Itaque nos intelligimus ex. g. id quod scribit Emyeu (1): Aliquis puer, quantumcumque sit praedispositus, potest nullum exhibere syptoma usque dum ejus vita evolvitur loco quodam tranquillo, ubi ei nullus complendus est conatus ut suis incumbat occupationibus. Ipsi nil aliud est faciendum nisi studio aliquanto vacet, suas preces recitet, pareat magistris parentibusque, ac ludeat. At ecce advenit dies primae Comunionis. Ejus ideae multiplicantur; ejus sensus determinantur ac evolvuntur; ejus preces momentum accipiunt omnino diversum, ejusque reflexiones multo majorem evolutionem acquirunt. Ut communionem recipere possit, facere debet confessionem, respicere praeteritum tempus, praevidere suam vitam futuram, quosdam formare remorsus quasdamque suscipere resolutiones, intelligere solemnitatem actus complendi, atque se parare ad recipiendum Deum. Implexa igitur fit ejus vita interior. Quapropter mirum non est si ejus tensio vitalis, sufficiens usque in illum diem, non amplius sufficiat. Prima communio ostendit temperamentum scrupulosum pueri.

Atque, etiam si restitui possit aequilibrium inter media vitalia et necessitatem, inter ejus energiam et difficultatem superandam nonnihil sufficit, ut abrumpatur tale aequilibrium. Verumtamen hae quoque causae non sunt reapse tales, sed tantum quaedam occasiones. Eae ostendunt existentiam causarum endogenarum.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 172.

Hoc temperamentum, hae causae endogenae, sunt sensus incompletionis ac insufficientiae. Ante consideramus influxum sensuum incompletionis.

Quidam scrupulosus, v. g., ex necessitate certitudinis acquirendae relate ad certam actionem, ducitur ad interpretandum proprium statum mentalem ac ad quaerendum quaenam sit ratio suarum perturbationum. Jamvero idea obsessiva nihil aliud est nisi quaedam interpretatio quam ipse praebet de suis perturbationibus; est quaedam interpretatio facta secundum legem maniarum mentalium. Sic, ex. g., quando in quodam aegroto sensus incompletionis derivatur ex conscientia, quam aegrotus habet circa incapacitatem, qua ipse afficitur, ad volendum, ad agendum, ad deliberationem sumendam, ad acquirendam certitudinem, illico ipse vehitur ut cogitet quomodo posset se ex tali sollicitudine liberare, quomodo acquirere certitudinem, quomodo deliberationem sumere, etc.; ipse videre conatur quibus in conditionibus conatus suae voluntatis minus molestiae afferant; atque tandem ex inutilitate propriorum conatuum fractus, quasdam ideas concipit de contemptu sui ipsius. In continuata persistentia harum idearum, in charactere et summa harum idearum, in hac persistente colligatione adsociationis idearum, stat equidem obsessio.

Quae proinde generatur ex causa quadam interna, sicut sensus incompletionis; nempe ex probatione quam aegrotus ostendit se non possidere realitatem.

Post sensum incompletionis, insufficientiae psychicae, prouti insufficientiae voluntatis, intelligentiae, considerari debent tamquam causa obsessionis. Exemplum adducamus. Obsessio, qua quis orare nescit, potest determinari a perturbationibus voluntatis, quae generant apathiam, propter quam aegrotus consequi nequit certitudinem se illis modis et formis orasse quae ratio communis dictat. Facile esset exempla multiplicare.

Aliaeque connumerari possent obsessiones, quae nihil aliud sunt nisi interpretationes morbosae, plus minusve implexae, insufficientiarum psychicarum sensuumque, qui exinde derivant.

Concludendo, admittere debemus quod obsessiones evolvuntur super fundamenta cujusdam praedispositionis congenitae, cujus causa tensio vitalis diminuitur. Ipsae a causis endogenis determinantur, sub influxu causarum occasionalium, quae in lucem proferunt defectum aequilibrii, quod intercedit inter tensionem vitalem et difficultatem operationum psychicarum, quae complendae sunt.

Theoria a me exposita etiam rationem reddit de forma, quam obsessio suscipit in spiritu aegroti.

Factum quoddam, ad quod Janet (1) attentionem revocavit cujusque jam ego memini, illud est quod obsessiones psychastenici, quosdam praebent characteres speciales, ob quos satis bene distinguuntur ab ideis fixis hystericorum. Jamvero hi characteres idearum obsidentium sane quidem explicantur a theoria tensionis psychicae depressae et hierarchiae phaenomenorum psychicorum.

Primus obsessionum character, ait Janet — vocabulo utens quod traduci nequit — est quod ipsae sint « *obsidentes* » (*obsedantes*); videlicet ipsae nimis diu et longum protrahuntur et iterum perpetuo apparent. Nunc evidens est quod, si ideae obsessivae sunt significatio tensionis psychicae diminutae, ipsae durabunt usque dum talis diminutio habeatur. Jamvero haec diminutio durat per longissimos temporis periodos. Mirum ergo non est si aegrotus, qui, mediante certa et determinata idea manifestat talem tensionem, hanc ideam obsessivam exhibeat usque dum diminutio tensionis durat.

(1) *Op. cit.*, pag. 606.

Jam notavi quod scrupulosus quadam vera mania adsociationis afficitur, quae eum impellit ad suam obsessionem coniungendam cum omnibus aliis phaenomenis psychicis, quae experitur. Id autem facto tribuitur quod aegrotus suam insufficientiam experitur, quum cogitur ad adipiscendam certitudinem, ad suam attentionem compellendam super actionem, quam complere debet. Hoc faciens, quoniam ejus conatus inutilis redditur ex diminutione tensionis psychicae, ipse nihil aliud obtinet nisi in majorem lucem proferat suam insufficientiam. Hinc ergo consequitur quod obsessio sit olei maculae ad instar quae manando crescit.

Praetera etiam intelligimus quare impulsus, quos experitur numquam ad suum finem perveniant. Ipse compellitur ad verificandum utrum tale peccatum commiserit necne; ineluctabilique modo vehitur ad hujus rei veritatem explorandam, quae exploratio et ejus gaudium eiusque simul tormentum constituit; is se cruciando delectationem capit. At, reapse, is sibi persuasum habet se illud peccatum non commisisse; et ita, eodem tempore, quandam potest experiri repulsionem ut tale compleat examen, quod ejus inquietudinem adauget, ac ut ad illud complendum attrahatur. Jamvero hoc factum, quod impulsiones numquam perveniunt ad suum finem, quemadmodum et factum aequipar quod in psychastenico repraesentationes numquam perveniunt ad veram allucinationem (is enim primus persuasum sibi habet tale peccatum non commisisse, et vae illi qui eum de illo peccato accusaret!) sane bene comprehenditur, nostram adhibendo theoriam de depressione tensionis psychicae; siquidem est haec depressio quae quamlibet operationem psychicam interrumpit antequam ad exitum adducatur. Atque aegrotus, qui quodam generali modo incapax est agendi et certitudinis acquirendae, eo quoque venit ut non amplius agat ac ut non amplius suis cedat obsessionibus.

Denique, una cum Janet (1), hae obsessiones ante omnia sunt quaedam obsessiones conscientes, quaedam dementiae lucidae, videlicet subiectum potestatem seipsum reprehendendi conservat. Id significat quod obsessiones incompletae manent neque usque ad certitudinem perveniunt. Ita ut hic morbus sit praecise quaedam dementia dubii, quae undique certitudinem supprimit, quaeque efficit ut fieri non possit ut ad exitum adducantur operationes psychicae maxime elementariae. Et ita etiam characteres obsessionis ultimatim nihil aliud sunt nisi characteres depressionis psychicae, ejus nempe status, quem statum psychastenicum vocavimus. Planum ergo est quod in hoc statu invenire id debeamus quod constituit laesionem fundamentalem hujus morbi.

Nunc exponere liceat, duce theoria psychastenica, alia symptomata, quibus scrupulosus afficitur.

§ 2. — Interpretatio insufficientiarum.

Depressio tensionis psychicae nobis rationem explicavit propter quam obsessiones insurgunt.

Et adhuc factum depressionis vitalis illud est quod permittit ut rationem ineamus de quodam phaenomeno, quod tamquam characteristicum in psychastenico descripsimus, videlicet de insufficientiis psychicis et physiologicis.

Ut intelligamus quomodo haec phaenomena insurgant, nostris studeamus aegrotis oportet tum quum plena crisi afficiuntur.

Exterius, ait Emyeu (2), non exhibent nisi quasdam insufficientias.

Sub aspectu physiologico, generatim sunt symptomata neurasteniae, et speciatim dolores capitis, et fun-

(1) *Op. cit.*, pag. 608.
(2) *Op. cit.*, pag. 173.

ctio mala organorum digerentium; scilicet causae aut consequentiae et, in omni casu, signa debilitatis nervosae diminutae tensionis vitalis. Quod comprehenditur, quoniam debilitas nervosa intime connectitur cum energia vitali. Ex characteribus igitur physiologicis a scrupuloso exhibitis usque a nativitate, praevideri potest quod etsi parum in complexitate vita evolvatur, eorum tamen tensio vitalis inferior indigentiis fit.

Sub aspectu psychico, factum dominans est defectus accomodationis ad realitatem, in quam conveniunt et determinantur variae insufficientiae psychicae psychastenici. Nos intelligimus quomodo hoc contingat. Incipiendo ex quodam certo momento, per consequentiam causarum occasionalium diversarum: intoxicationum, laborum, emotionum etc., in individuis hereditate praedispositis, quaedam notabilis depressio tensionis psychicae supervenit. Exinde phaenomena superiora fere impossibilia fiunt, et inter ea primum evanescit accommodatio ad realitatem, quae, propter complexitatem et difficultatem quam praebet, posita a nobis est in summis gradibus hierarchiae.

Haec insufficientia accommodationis ad realitatem praesertim manifestatur in exercitio memoriae ac in incapacitate actionis voluntariae.

His duobus factis aliquantum studeamus, ut videamus quomodo eisdem nostra applicetur theoria; et in hoc sequamur Emyeu (1), qui sane bene explicat quomodo hic defectus accommodationis ad realitatem quoad nostros aegrotos reveletur in exercitio memoriae aut in forma abuliae.

« Memoria, ita ipse scribit, non est promptuarium quoddam recordationum, ubi singulatim collocantur ideae tamquam in totidem cellulis, et ex quibus deducantur prouti expostulat necessitas. Omne quod exi-

(1) *Op. cit.*, pag. 174.

stit est essentialiter praesens, et id quod erit obiectum recordationis est actualiter transactum, ergo non existit. Systema nerveum nec sensationes, nec imagines et multo minus cogitationes recipere potest; nedum eadem conservare potest. Ipsum concussiones quasdam recepit, quae modificarunt suos motus. Hinc est quod obiecta sua impresserunt vestigia, plus minusve praecisa, in organismo atque conscientiae permiserunt ut exinde ideas extraheret. Vicissim idea non satis habet actionem ab extra arripere; ea contra egit ut accommodaret organismum ad actionem utilem ideoque ut eam denuo modificaret. Sub ideae directione, sicuti sub rerum impulsu, organismus semper se eo modo habet, qui ei est proprius, scilicet, se movet. Motus, vibrationes en ergo omne quod a seipso recipere potest, et omne id quod dare potest. At conscientia nulla indiget re ut reminiscatur. Ubi primum quivis eventus sive internus sive externus serius systema nerveum reponit in quodam statu analogo, tunc antiqua idea, vi legis *totalizationis* (1), redire contendit. Haec est memoria spontanea ».

« Homo normalis eam refrenat, prouti necessitas expostulat, ut eam actuali conditioni accommodet; e contra psychastenicus hoc facere nequit; is non est eius dominus, quoniam is non satis potestatis habet, ut eam in unum centrum compellat; ita ut memoria spontanea ejus mentem occupat idque eadem de causa propter quam in ipso idearum associationes sunt, uti vidimus, superabundantes ».

Idem proportionis defectus dari potest propter deficientiam voluntatis in actione, i. e. propter abuliam. Reperiuntur variae species abulicorum. Plerique vo-

(1) Haec lex, ita enuntiari potest: Cum elementum quoddam particeps fuit cujusdam determinati status conscientiae, sufficit quod ipsum denuo detur ut ipsum tendat, per adsociationem, ad penitus integrum reconducendum statum conscientiae. Cfr.: HÖFFDING, *Op. cit.*, pag. 208.

luntate deficiuntur, quia usibus rerumque vulgaribus consuetudinibus indulgent; neque iisdem resistere curant. Ii sunt homines qui potius circumstantias ususque subeunt, quam contra ea agant. Alii e contra sunt voluntatis egeni, quia comprehensionis idearum egeni sunt. Ex contrario in deficientia voluntatis scrupulosi factum contrarium habetur, scilicet idearum abundantia. In animo scrupulosi enormis numerus causarum inveniuntur, quae eum impellunt ad agendum modis quam maxime diversis, dum e contra tensio psychica est insufficiens ut efficere possit, ut causae tam diversae actionis, quae in eo reperiuntur, inter se congruant, atque ut inter eas eligere queat. Velle, scribit Ribot (1), est eligere, ut agatur, inter causas, quae ad actionem impellunt....; est finem imponere luctationi inter has causas. Jamvero scrupulosus tali afficitur depressione tensionis vitalis, quae tale redintegrare aequilibrium ei non sinit.

Verumtamen aliquando scrupulosus haec omnia facere potest. Ejus insufficientia accomodationis, scribit Emyeu (2), tamquam characterem sibi proprium, libitum habet; ejus voluntas, capax est quorumdam actuum, at minime aliorum, quibusdam momentis et non semper. Jamvero major complexitas quorumdam actuum explicat quomodo possibiles sint prae alios; ac oscillationes tensionis vitalis nobis rationem ostendunt cur idem actus aliquando sit impossibilis, aliquando non.

§ 3. — Interpretatio sensus incompletionis.

Sicut ex notione tensionis vitalis et notione hierarchiae psychicae, quibus usi sumus in studio scrupulosorum, interpretari potuimus insufficientias ab his ae-

---

(1) *Maladies de la volonté.* pag. 35-37 (Ed. 17).
(2) *Op. cit.*, pag. 176.

grotis exhibitas, sic ex iisdem notionibus explicare licebit sensus incompletionis, quorum ortus comprehensibilis est in individuis, qui talibus afficiuntur insufficientiis.

Significatione *sensuum incompletionis — sentimenti d'incompletezza* — (barbara vox, qua usus est Janet, cuique alia significatio substituere nequit) designatur quod hi aegroti semper queruntur, et sane quidem, quod eorum operationes psychicae sunt incompletae, insufficientes, quas ad exitum adducere nequeunt propter difficultates intrinsecas ipsius actionis; breviter hi aegroti quodam vivaci sensu suae insufficientiae afficiuntur (1). Cur hujusmodi sensus insurgunt? Theoria, quam exposuimus, id satis bene explicat.

Tria magna phaenomena, scribit Emyeu (2), constituunt sensum incompletionis, i. e.,

a) *Diminutio synthesis mentalis* et, per consequentiam, diminutio systematizationis ac unitatis elementorum ad conscientiam pertinentium.

b) *Reductio complexitatis mentalis,* numeri elementorum; sensationum, imaginum, motuum, emotionum, quae plerumque conscientiam implent, quaeque nobis praebent sensum realitatis et temporis praesentis.

c) Recordatio modi, quo nonnumquam suas peragebat functiones cogitatio nostra, ejusque unitatis, ejusque abundantiae; *comparatio inter statum hunc transactum et statum praesentem;* necnon interpretationes inevitabiles, quae cum his miscentur comparationibus.

Nunc huic triplici ordini factorum studeamus.

a) Quidam numerus sensuum incompletionis colligatur cum facto praefato de diminutione synthesis mentalis.

Ejusmodi sunt, ex. g., sensus incapacitatis intellectualis, obscuritatis, incoordinationis, confusionis, et una

---

(1) Cfr. sup. cap. V, pag. 270.

(2) *Op. cit.*, pag. 175.

simul sensus difficultatis actus voluntarii, difficultatis, attentionis, distractionis, instabilitatis.

Origo horum sensuum tribuitur defectui unitatis in vita psychica nostrorum aegrotorum. Dum in homine normali invenimus quod inter omnes tendentias nostrae psychicae individualitatis adest unitas, scrupulosus ex adverso loquitur atque agit necessitate coactus; ejusque actio neque est voluntaria neque characterem personalem induit. Hinc ejus sensus perpetuae rebellionis; ejus vitae, ejusque actionum molestia. Id omne debetur diminutioni tensionis vitalis, ad quam revera pertinet stabilire aequilibrium necnon hominem ad actionem impellere.

b) Alterum factum, quod innuimus, diminutio nempe complexitatis mentalis numerique elementorum: sensationum, imaginum, emotionum etc. quae ordinarie conscientiam implent, quandam minorem accommodationem ad realitatem determinat, quoniam sensum realitatis temporis praesentis comitatur quidam elatus gradus activitatis cerebralis, in qua numerosae reperiuntur sensationes, imagines, motus, emotiones.

Diminuta tensione vitali, diminuitur etiam abundantia ejusmodi phaenomenorum psychicorum, ideoque diminuitur etiam accommodatio ad realitatem, quae est psychastenici propria.

c) Tertio loco revocanda est, tamquam elementum sensus incompletionis et defectus accommodationis, recordatio status spiritus morbum praecedentis, quae recordatio interdum apparet per lucida intervalla. Hi aegroti involuntarie comparationem instituunt inter suum statum actualem et suum anteriorem statum. Hinc est quod ipsi dicunt se alteros esse, affirmant se amplius non esse quod quondam erant, quod amiserunt bonas qualitates, quibus olim exornabantur, quod nunc se ineptos, incapaces.... etc. sentiunt.

Nec haec omnia immerito affirmant, quia ejusmodi verba sunt testificatio modi quo ipsi sentiunt suam debilitatem mentalem, suam incapacitatem volendi, necnon conscientiae quam habent de depressione tensionis psychicae, propter quam ipsi nunquam perveniunt ad perficiendos actus, qui quandam praebent difficultatem. Ita etiam hos sensus incompletionis, eorum mechanismo genetico inspecto, interpretari debemus tamquam phaenomenon quoddam diminutae tensionis psychicae necnon difficultatis, quam scrupulosus nanciscitur quum complere debeat actus positos in summo hierarchiae phaenomenorum psychicorum.

§ 4. — Interpretatio agitationum coactarum.

Nunc, duce theoria exposita, explicandae sunt agitationes coactae, quae comprehendunt agitationes motrices diversae speciei, crises angoris, et ruminationes mentales. Hujusmodi phaenomena, sunt vere scrupulosi propria; ea ergo colliganda sunt cum puncto fundamentali theoriae expositae.

Conclusiones studii de agitationibus coactis recordor (1). Plerisque in casibus agitationes coactae incipiunt occasione cuiusdam actus voluntarii. Est principium cuiusdam actus, vel desiderium actus complendi id quod determinat agitationes et angores, ruminationes mentales. Haec incipere possunt etiam propter alias circumstantias causâ idearum, quae subiectum attente examinare contendit, ut arripere possit aliquam conclusionem ad eas spectantem, scilicet quando proponitur problema certitudinis.

Quomodo surgunt hae agitationes? Jam a me observatum est, quod operationes psychicae superiores nostrorum aegrotorum (actio voluntaria, attentio, inqui-

(1) Cfr. sup., cap. IV, pag. 79-105.

sitio certitudinis, etc.) nunquam suum finem consequuntur, propterea quod aegrotus non valet se ad realitatem accommodare, amisit sensum unitatis, synthesis mentalis, etc. Jamvero, interdum, ex eo quod actiones modo incompleto perficiuntur, in animo aegroti sensus perseverat quod ipsae sint insufficientes, imperfectae, incompletae; tunc exsurgunt sensus incompletionis, quos jam attigimus. At nonnumquam reapse evolvitur quaedam categoria operationum penitus diversa.

Nunc sunt motus quidam varii musculorum, nunc quidam physici conatus, nunc sic dicta *tics*, nunc agitationes totius corporis, nunc perturbationes viscerales, nunc palpitationes cordis, vel angores; nunc sunt illae operationes indeterminatae et quam maximè variae, quas Janet designavit tamquam ruminationes mentales.

Omnes hae operationes, quae occupant locum operationum superiorum, quarum complendarum aegrotus non est capax, pertinent ad ordinem minus elatum relate ad difficultatem. Inspecto loco, quem tenent hae operationes in hierarchia operationum psychicarum, quam supra indicavimus, dici potest quod aegrotus in locum operationum superiorum, quas complere non valebat, substituit operationes inferiores, quas complere multo facilius est. Verum non est putandum, quod res tanta gaudeant simplicitate sicuti ex dictis apparet. Nimirum observandum est quod, non tantum subiectum substituit operationem inferiorem in locum operationis superioris, sed insuper quod hujusmodi operatio inferior, quandam excessivam recipit evolutionem, quae admirationem movet, quaeque suae ipsius origini minime correspondere videtur. Subiectum voluntarie complere contendit actionem quandam simplicem, quae ab homine normali paucis perfecta esset momentis, certitudinem acquirere conatur de quadam quaestione determinata, quae tantummodo aliquantulum cogitationis requireret, dum ex adverso, loco horum phaenomeno-

rum simplicium, evolvuntur quaedam agitationes enormes, quaedam sic dicta *tics* incessabilia et numerosa, quaedam ruminationes quae per integras horas perseverant, quidam angores cum alterationibus respiratoriis et cardiacis admodum gravibus.

In hoc, saltem in specie, talis deest proportio ut difficulter nobis persuaderi potuerit alterum phaenomenon nihil aliud esse nisi substitutionem prioris.

Janet (1) sane contendit — factis inspectis, quae nos ratione brevitatis omittere debemus — quod haec substitutio est *realis* ac quod ea accidit per *derivationem* — qua voce significare intendit, quod conatus aegroti ad quendam determinatum finem consequendum, adhibetur ad alia producenda phaenomena non praevisa atque inutilia.

Hac conceptione Janet demonstrat, quod intelligi potest quomodo in locum cujusdam phaenomeni superioris initialis (actus voluntatis, inquisitionis certitudinis, etc.), quod videbatur phaenomenon quoddam unicum et satis parvum, substituatur quidam magnus numerus aliorum phaenomenorum secundariorum, quae in longum tempus protrahuntur. Et reapse, quando quoddam phaenomenon psychicum multo est superius quam alterum, tensio quam illud exigit ut producatur, etiam sufficiens esse posset, dummodo ea adhiberetur etiam ad producendum phaenomenon centies inferius. Quaedam currens electrica, quae tensionem habeat 100 Volts, necessaria ad quandam determinatam lampadem accendendam, igitur quaedam quantitas tenuis, applicari potest ad quendam numerum tintinnabulorum electricorum quam maximum et ita causa erit qua phaenomenon quoddam immoderatum producatur, strepitus quidam aures obtundens. Si talem energiam electricam immitteremus in quoddam resistens filum metallicum, ea ef-

(1) *Op. cit.*, pag. 564 et seq.

ficeret ut illud erubesceret, ac determinare posset quoddam incendium aut quantitatem quandam caloris sufficientem ad fondendum unum milligrammum plumbi. Eodem modo tensio psychica, sufficiens ad producenda phaenomena ordinum superiorum hierarchiae, provocare potest veram quandam explosionem phaenomenorum quam maxime numerosorum atque tumultuosorum, at semper in hierarchia inferiorum.

Aliunde vero, hoc factum communiter verificatur. Timiditas, incapacitas actuum magis complexorum perficiendorum, aliis praesentibus personis, non modo determinant statum quendam emotionalem qui ex robore vultus revelatur, sed etiam actus exaggeratos, expertes capacitatis, inutiles, agitationem quandam totius personae. Quotiescumque publice loqui debemus, neque verba apta invenire valemus, nos nos commovemus, ac hujusmodi agitatio, ex una parte, emotionem revelat, sed, ex altera parte, est quoque modus quidam, quicumque sit, quo nostram energiam vitalem dejicimus.

Idem phaenomenon verificatur in nostris aegrotis, quorum agitationes motrices, angores, ruminationes mentales interpretrari debemus, tamquam medium, quo ipsi adhibent per derivationem vires, quae adhiberi non potuerunt ad complendum quendam actum determinatum aut attentionem praestandam in aliqua re complenda aut ad quandam producendam emotionem.

Ita, ex. g., quidam scrupulosus, consilium inire debet ut aliquem actum compleat; confessionem, communionem, precem quandam, quamcunque resolutionem, etc., et tunc exhibet agitationem quandam in toto corpore, quendam terribilem angorem, ejusque cerebrum continuae ruminationi mentali operatur. Si operas auferas, quae quendam actum voluntatis et deliberationis requirunt, tunc tota haec derivatio locum non habet.

Alia adducere exempla circa substitutionem agitationum loco phaenomenorum superiorum non convenit,

ne ab eo, quod ratione brevitatis mihi proposui, longius aberrem in hac tractatione; nec insuper hoc interest, siquidem nullus est confessarius qui quendam proprium poenitentem non recordetur in actu confessionis instituendae, quique non recordetur exempla agitationum muscularium vel ruminationum mentalium, aut status quosdam angorum aut continuatam mechanicam repetitionem jaculatoriarum, quam peragunt ejusmodi nonnulli poenitentes; quae facta interpretari debemus tamquam *phaenomena derivativa.*

Ex quo, conclusio enascitur, quod etiam origo agitationum explicari potest, inspecta duplici hypothesi, scilicet tensionis psychicae et hierarchiae operationum psychicarum.

§ 5. — Interpretatio systematizationis et derivationis phaenomenorum, quibus afficitur psychastenicus.

Quantumvis magni sit momenti interpretatio insufficientiarum sensuumque incompletionis, tamen longe abest a fine, quem consequi contendimus, nempe ab eo ut explicet tormentum quod nanciscitur is qui obsessionibus afficitur. Et reapse agitationes, insufficientiae, sensus incompletionis, sunt vaga et diffusa, dum character obsessionis, prouti multoties vidimus, est praecisus; quin immo dici potest quod character obsessionis penitus consistit, verbi gratia, in eo quod quis certitudinem non acquirat praecise respectu cujusdam determinatae et exclusivae rei. E contra agitationes, insufficientiae derivant, ultimatim, ex quadam debilitate totius cogitationis, ex quadam generali debilitate voluntatis, ex motibus quibusdam incoordinatis, exaggeratis, et inordinatis, ex sic dictis *tics*, *rêveries* continuis et innumerabilibus, ex emotionibus etc.

Jamvero, in praxi, ipsi aegroti agnoscunt quod morbus non consistit in his generalibus perturbationi-

bus. « Non est verum, ipsi inquiunt, quod ego omnino caream voluntatate; in multis casibus, ita me adloquebatur quidam aegrotus, et sane quidem, ego agere scio; ego meam domum dirigo, rebus in mea ipsius familia agendis inservio et, nisi meis crisibus angoris afficiar, omnes sunt de me contenti, nec quisquam de meo terribili statu sentit ».

Et verum hic aegrotus dicit; siquidem est tantummodo quaedam actio quae ab his aegrotis fieri non potest; est tantummodo quidam motus qui se in sic dictum *tic* transformat; est quaedam determinata operatio mentalis quae, sua iteratione, eos torquet; est quoddam determinatum obiectum, quod eorum angores provocat, et nihil aliud. Uno verbo, formae vagae et diffusae morbi superimponitur et adjungitur forma praecisa et systematica.

Id debetur cuidam morbi verae systematizationi, quae intra duos periodos contingit: antea determinatur phaenomenon primarium, quod est crisis initium. Et tunc est tantum unus actus, quem agrotus complere nequit, est tantum una decisio, quam ipse inire non potest. Hoc factum a Janet designatum est veluti specificatio quaedam insufficientiarum psychologicarum.

Deinceps habetur quidam processus derivationis, cujus causa quibusdam phaenomenis, alia substituuntur; jamvero, tunc quum haec derivatio incipit formam quandam determinatam, et ejus causa quaedam determinata mania mentalis particularis substituitur ruminationi mentali, quoddam *tic* agitationi motrici, quaedam phobia angori diffuso. Nimirum habetur, uti Janet (1) scribit, quaedam systematio derivationis.

Exordium sumamus a studio prioris recensiti facti, scilicet systematizationis insufficientiarum psychicarum.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 579.

a) Longe insistere, ut explicemus in quo consistat haec systematizatio, non convenit; nam diffuse quidem de hoc facto superius locuti sumus, demonstrando quod in obsessione, praeoccupatio exhibetur dumtaxat respectu cujusdam actus determinati. Videlicet demonstravimus quod, inter varias operationes psychicas, plerumque una tantummodo difficilis videtur, aut saltem tantummodo unus ordo operationum. Et insuper demonstravimus quod tantummodo unus actus vel unus ordo actuum difficilis exhibetur, propterea quod ille est omnium difficillimus ad complendum sive propter suam ipsius naturam, sive per accidens in consequentiam circumstantiarum particularium vel in consequentiam conditionum artificialium ab ipso aegroto creatarum.

Tales operationes illae sunt quae implicant exercitium voluntatis, usum attentionis aut inquisitionem certitudinis. Hujus generis sunt actus morales, actus sociales, etc.

Ex studiis superius recensitis, clare demonstratae sunt insufficientiae, quae in talem respectum producuntur; atque ex iisdem demonstratum est quod, habetur quaedam systematizatio harum insufficientiarum psychicarum, adeo ut, tum quum tensio psychica diminuitur, dumtaxat quidam actus determinatus ostendit hanc diminutionem una cum impossibilitate, quam ipse exhibet, ut perficiatur.

Ut rationem de hoc facto habeamus, recordandum est quod inter actus, quorum causâ frequentius exurgit difficultas executionis, *duplex* enumeratur *categoria;* alii actus, ut compleantur, exhibent difficultatem quandam *intrinsecam,* sibi propriam, naturalem; alii e contra difficultatem quandam *extrinsecam,* accidentalem, quae ex circumstantiis particularibus derivat.

Actus religiosi, ex gr., non exhibent quandam intrinsecam difficultatem ad executionem; eorum diffi-

cultas est accidentalis, dependens ex circumstantiis particularibus: ipsa est, quodammodo, artificialis, ex eo quod resultat ex modo, quo subiectum contendit ut hic actus compleatur. Re quidem vera nos diversimode possumus actus nostros complere, sive modo elementari, sub forma actionis quae cordi nobis non sit, et consequenter exigendo tensionem quandam psychicam non elatam, sive quendam peragendo conatum ut perveniamus ad perfectionem psychicam, ad functionem realitatis, et consequenter adhibendo quandam elatam tensionem psychicam. Aliqua actio, quae, priori modo confecta, absolute facilis esset, difficillima fieret, altero modo perfecta.

Quidam puer suas recitat preces sine ulla difficultate; sed hic actus difficilis fit pro individuo qui illum complere contendit cum attentione interna et externa, et una simul cum exercitio praesentiae Dei. Hujus generis exempla facillime multiplicari possunt.

Ergo intelligitur quod systematizatio insufficientiae fieri potest modo quodammodo artificiali, si quavis de causa subiectum debile ducitur ad transformandum certum quendam actum, qui facile, at modo elementari, completur, in alium quendam actum, qui perfici debet cum particulari attentione et si illam perficere vult cum maxima perfectione psychica. Id contingit, veluti in actibus religiosis, tum quum subiectum intelligit particulare hujus actus momentum. Et nostri aegroti, dum sane bene peragunt actus vitae communis, etsi quemdam exhibeant difficultatem, ex contrario, insuperabilem nanciscuntur difficultatem in actibus religionis, praesertim in actibus majoris momenti: prouti sunt confessio et communio; quoniam hos actus majori cum perfectione conficere nituntur et sic eos artificialiter difficiles reddunt.

Ita intelligimus rationem difficultatis extrinsecae actuum religiosorum ac scrupulum, qui eorundem causâ, in psychastenicis exurgit.

b) Praeter systematizationem insufficientiarum, aegroti praebent systematizationem derivationis.

Videamus quomodo hoc contingat.

Principium derivationis nos edocuit modo generali quomodo diversae spiritus corporisque agitationes nihil aliud sint nisi derivationes et usus cujusdam vis quae, cum eâ uti fieri non potuisset ad perficienda phaenomena superiora facta difficilia, ex adverso adhibetur ad actus faciliores complendos: agitationes coactas. Quod tamen non sufficit ut factum explicemus quod in quolibet casu habentur particulares agitationes. Nimirum saepe numero hae derivationes, potius quam vagae et diffusae maneant, sunt systematizatae, scilicet in locum agitationis diffusae substituuntur eaedem formae agitationum; prouti maniae mentales, τὰ *tics*, phobiae speciales, etc.

In hac systematizatione latissime patet praedispositio individualis, propter quam quodlibet individuum particulari modo reagit secundum propriam naturam propriamque educationem. Quandoque alterum coefficiens, est habitudo. Scrupulosi status talis est, ut, quoties determinata insufficentia psychica apparet, toties haec subiectum inducat ad exacte reincipiendam eandem cogitationem. Idque intelligitur, considerando quod psychastenicus voluntate caret, et proinde potius patitur suarum impressionum supplicium, quam contra eas reagat.

Tertio loco recordandum est quod scrupulosus persentit sui ipsius status cruciatus, ejusque spiritus agitatur frequentia cogitationum cuiusvis speciei. In hac rerum conditione ejus cogitationes ad ejus constantem praeoccupationem versus tendunt; nempe ad ejus tormentum, atque illud relinquere, quantis maximis viribus potest, conatur.

Jamvero triplex hoc coefficiens sane bene explicat systematizationem derivationum. Habitudo explicat

quomodo frequentes sint maniae mentales; tandem τὰ *tics* sunt derivationes motrices systematizatae praesertim propter habitudinem.

Quoquomodo conatus a subiecto peractus ad evitandos incompletionis sensus eo venit ut ad quandam conducat systematizationem iis modis, quibus ipsum utitur ad se liberandum a tormentis psychicis.

§ 9. — Conclusiones.

Itaque, hac factorum quaestionumque recensione peracta, vehimur ut concludamus, quod omnia phaenomena a scrupuloso exhibita facile interpretari possumus, et dumtaxat, notionibus propositis diminutionis depressionis tensionis psychicae et hierarchiae factorum psychicorum; quae omnia probationem exhibent in favorem theoriarum admissarum (1).

Nunc, hucusque exposita breviter complecti videamus. Atque, epilogi et confirmationis ad instar, reficere tentamus, prae oculis habita duplici admissa notione, proprietates psychicas scrupulosi. Itaque in suo exacto loco positos reperiemus characteres, quibus ipse afficitur, et unumquemlibet ipsorum connexum cum ceteris inveniemus mediante interpretatione a nobis data.

Ad hanc praebendam synthesim utor recenti scripto ipsius Janet (2), qui tali modo voluit explanare ideas ab ipso exposita in tractatibus doctrinalibus, quibus hactenus ego usus sum. Ex hoc volumine ego excipiam prospectum valde efficacem, quem ipse de psychastenico praebet, ejus ipsis verbis utens (3).

---

(1) Contra hanc doctrinam Sollier varias opposuit difficultates, at, sicuti jam demonstravi in principio hujus operis, eae nullam merentur considerationem (*Le Doute,* Paris, 1909, pagina 337 et seq.).

(2) *Les Névroses,* Paris 1909.

(3) Ibid., pag. 365 et sq.

Quodam determinato momento, scribit Janet, propter diversos influxus; intoxicationes, laborem, emotiones, in individuis hereditate praedispositis supervenit quaedam notabilis depressio tensionis psychicae, quam Janet *psycholepsia* nuncupavit. Cujus phaenomeni causâ, nonnullae superiores operationes, veluti functio realitatis, actus voluntarius, perceptio realitatis, certitudo etc., quasi impossibiles fiunt; subiectum vehementer hanc deficientiam sentit eamque exprimit omnibus modis sensuum non accomodationis ad realitatem.

Functiones quae primae evanescunt sunt functiones difficillimae, quae scilicet exigunt majorem tensionem. Functiones sociales, quae ad nostram actionem adjungunt considerationem aliorum hominum eorumque sensuum respectu nostri, citius percutiuntur et proinde unum ex primis symptomatibus est timiditas, quae est veluti species quaedam abuliae socialis. Phaenomena, in quibus quaedam necessariae contentiones interveniunt, quaeque quandam implicant imputabilitatem, deinceps evanescunt, et hinc est quod diversae constituantur phobiae. In aliis casibus difficultas hujus vel illius functionis non est naturalis, sed ab ipso subiecto volita, et ejus causa est vel modus, quo is vult actum perficere (mania praecisionis) vel attentio, qua is utitur, vel conatus quem adhibet ad adipiscendam quamdam perfectionem impossibilem. Atque hic est casus scrupuli typici.

At impossibilitatem has superiores operationes complendi, quoddam aliud comitatur phaenomenon. Nimirum phaenomena inferiora, actiones et perceptiones indifferentes, agitationes motrices et viscerales non solum perfecte subsistunt, et etiam in locum operationum superiorum substituuntur, sed etiam numero augescunt atque magis evolvuntur. Haec exaggerata evolutio penitus ex diminutione operationum superiorum dependet. Defectus proportionis inter numerum et enor-

men evolutionem horum phaenomenorum inferiorum, et numerum et enormem evolutionem phaenomenorum superiorum suppressorum, ex eo explicatur, quod vis non adhibita pro phaenomenis superioribus, quae amplius produci nequeunt, originem dat cuidam verae explosioni phaenomenorum inferiorum infinite numerosorum et potentium, sed positorum in quodam gradu inferiori hierarchiae.

Atque simul cum Janet considerare possumus hujusmodi phaenomena, veluti quandam derivationem, quae substituitur in locum phaenomenorum superiorum. Tamquam phaenomena derivationis considerare possumus agitationes coactas, quae tunc exurgunt cum actus religiosi sunt complendi vel cum sumenda est aliqua deliberatio in vita communi.

Propter determinationem harum insufficientiarum causâ depressionis tensionis vitalis, et una simul cum determinatione phaenomenorum quae exinde consequuntur (phobiae, *tics*, agitationes, etc.) evolvuntur obsessiones, quae proinde sunt ultima consequentia depressionis mensurae tensionis psychicae, et sunt effectus conatus quem subiectum adhibet ad se subtrahendum ab insufficientiis, quae illud torquent. Itaque omnia haec phaenomena a scrupuloso exhibita apparent veluti manifestatio depressionis mensurae tensionis psychicae, et sic hujusmodi depressio — siquidem hic character generalis diminutionis tensionis psychicae demonstratus est ab Janet in omnibus symptomatibus a scrupoloso exhibitis — retinenda est uti propria status psychastenici.

Et tum scrupulum sequenti possumus declarare definitione.

Scrupulus est manifestatio quaedam morbi ab Janet nuncupati psychastenia, scilicet illius formae depressionis mentalis, cujus proprius character est depressio tensionis psychicae, diminutio functionum quae agere super realitatem, realitatemque percipere per-

mittunt, substitutio operationum inferiorum et exaggeratarum sub forma dubii, agitationum idearumque obsidentium, quae exprimunt praecedentes perturbationes, quaeque ipsae easdam praebent proprietates.

Haec definitio, quae identitatem psychastenici et scrupulosi enuntiat et secundum quam psychastenia consistit in quadam depressione tensionis psychicae, moliri ordinem permittit in his curandis aegrotis, ex quo jam boni quidem habiti sunt effectus, quique in hoc consistit ut elevare nitamur tensionem psychicam modo sufficienti et prouti necessitas postulat.

Quaenam sint hujus curae modalitates sequenti capite comprehendemus.

Caput septimum.

De conditionibus aetiologicis status scrupulosi.

1. *Quaestiones praeliminares.* — De obscuritate et momento studii circa aetiologiam scrupulorum. De impossibilitate determinandi causas hujus morbi. — De conditionibus. Conditiones essentiales et accidentales. — Utrum existant casus dependentes ex causis occasionalibus. — Crises scrupulorum et status scrupulosus.
2. *De hereditate.* — Recensentur tabulae statisticae, ex quibus demonstratur influxus hereditatis. Ejus ambitus et momentum.
3. *De sexu et aetate.* — Eorundem influxus et statisticae.
4. *De conditionibus psychicis determinantibus.* — Earum influxus et limitationes. — Influxus sexualis.
5. *De conditionibus moralibus determinantibus.* — Earum momentum et varietas.
6. *Conclusio.* — Psychastenia est morbus constitutionalis et hereditarius.

§ 1. — Quaestiones praeliminares.

Nihil vel saltem perparum scimus de causis, quae psychasteniam determinant; aetiologia, idest cognitio causarum hujus morbi, nos fugit, quia non cognoscimus intimum mechanismum hujus morbi, sicuti generatim nos latet cognitio mechanismi omnium morborum psychicorum. Quare, cum impossibile sit determinare causas hujus morbi, nobis satis erit nonnullas emittere hypotheses circa anormalem mechanismum hujus morbi, cui studio in capite praecedenti vacavimus, nec non enumerare conditiones in quibus frequentius hic mor-

bus verificatur. Et ex conditionibus praesertim mentio est facienda — sub aspectu aetiologico — de conditionibus antecedentibus.

Quod studium procul dubio est maximi momenti. Equidem latius communi opinione disseminata est psychastenia. Quasi ignorata ante studia Janet, Pitres et Régis, nunc auctores plures indicavere casus, quos olim auctores cum aliis morbis confundebant. Omnes confessarii experientia norunt, quam sint numerosi scrupulosi et quam hujusmodi forma majori minorive gradu afficiat magnum numerum individuorum. Exinde deducitur quam sit omnino necessarium videre utrum sit possibile funestos hujus morbi effectus infirmare; quod fieri nequit, nisi cognoscantur conditiones in quibus morbus enascitur.

Conditiones, quae videntur determinare explosionem hujus morbi, ante omnia sunt conditiones *essentiales*, praedisponentes sub dependentia hereditatis et constitutionis individualis; secundo loco hic habentur conditiones *accidentales*, relatione habita cum perturbationibus physicis ac moralibus, quae determinant morbi explosionem.

Ante quam vero his studeamus conditionibus, resolvere convenit quaestionem quandam praeliminarem.

Dantur ne casus in quibus morbus est, ut ita dicam, accidentalis? Uno verbo, dantur casus in quibus demonstrare possibile sit, quod nec hereditas nec temperamentum neque praedispositio potuerint ullam exercere actionem in morbum exsurgentem? Ii, qui existentiam horum casuum affirmant, non contendunt quod hujusmodi casus sine causa exurgant, sed affirmant, ipsos tribuendos esse causis accidentalibus, morbi causam nihil fatale exhibere, morbum facile evitari potuisse, atque nihil fuisse tunc temporis, ex quo morbus praevideri posset.

Ad admittendam horum casuum existentiam induci nos possemus ex facto quod nonnulli Sancti, sicuti Ignatius de Loyola(1), S. Franciscus Salesius, S. Aloysius Gonzaga et alii, crisibus scrupuli afficiebantur, quin prorsus exhiberent characteres cujusdam laesionis fundamentalis aut constitutionalis hereditariae. Et sane quidem videtur

(1) Ejus crisis exhibet characteres typicos hujus temporaneae et transitoriae depressionis, quae tribuitur particularibus conditionibus, quas ipse nactus est. Ignatius per nonnullas hebdomadas violentam scrupulorum crisim passus est. Dies noctesque praeteribat hoc horribili tormento vexatus. Continuo cum seipso colluctans, determinare conabatur quid peccatum esset, quid non, utrum confiteri debuisset veteres culpas, necne; ac, quo magis bene videre contendebat, eo magis tenebris obruebatur.

Ita descripta sunt ab auctore ejus vitae adsociationes propter interiores luctas, impulsus ad suicidium, ideae desperationis; breviter, in hoc exemplo inveniuntur omnes characteres ideae obsidentis. Et procul dubio sic inveniri potuissent, dum crisis manebat, sensus atque insufficientiae, de quibus in postremis capitibus loquuti sumus. Verumtamen haec omnia fortuita fuere in vita S. Ignatii, et quidem sine fundamento quoad tempus transactum, ac sine ulla morbosa repercussione in tempus futurum.

Duo facta videntur determinasse hanc scrupulorum explosionem. In primis, ipse recenter ad Christum Deum conversus, animo ab omni ambiguitate averso praeditus, et ex altera parte ignarus ac cujusque exspers directionis, sibi magnum quoddam onus ac munus imposuerat, reformandi scilicet integram suam vitam, singulari quadam summae perfectionis imagine animo et cogitatione concepta; et hoc quidem repente, nulla temporis mora interiecta, quinimmo ipsum tempus, ut ita dicam, nihil pensi habens. Ipse ad permagnam consumptionem virium, quibus indigebat ad hujusmodi interiorem activitatem substinendam, jejunia et macerationes adiunxerat, quae ejus physicam vitam debilitaverant. Haec omnia demonstrant quod in S. Ignatio Loyolensi — qui procul dubio minime praeditus erat irregulari quadam constitutione — nonnullae particulares circumstantiae facti, ad realitatem reduxerunt illam discrepantiam, quae intercedit inter tensionem psychicam, quaque individuum uti potest, et inter id quod ipsi faciendum erat; quod sufficiens equidem est ad explicandam originem cujusdam temporaneae crisis scrupulorum. Cfr.: Emyeu, *op. cit.*, pag. 170, sq.

Emyeu excludere in his subiectis quandam psychicam laesionem. At evidens est quod in casu ejus mens praejudiciis quibusdam obtunditur.

Forsitan quispiam dixerit hic causas supernaturales intervenisse. Deus potest supra modum haec individua subjicere suppliciis scrupuli. Sed ad nos quod spectat, nos hic instituimus investigationem psychologicam, et proinde nihil de hac hypothesi. At sine dubio duplicem observationem fundamentalem obijcere possumus, quae, ut mihi videtur, profecto destruit ideas Emyeu.

Ante omnia; si prima fronte alienum videatur admittere quod tam singulares et sancti homines statu psychastenico et quavis morbosa hereditate scrupulum determinante, afficiantur; nihilo secius recognoscendum est quod si nos admittere nullatenus possumus doctrinam, secundam quam sanctitas ex nevrosi derivatur sicut et ingenium; attamen impugnari nequit opinio, quae tenet, quod sanctitas inveniri potest in individuis aegrotantibus, et, quamquam admittendum non sit quod, v. g., vir Sanctus talis sit, quia hystericus est, nihilominus admitti potest quod aliquis hystericus consequi possit sanctitatem, et quod in sua speciali structura psychica inveniat correlativum naturale sui status supernaturalis. At nimis implicata est hujusmodi quaestio, ut in praesenti explanari possit (1).

At nondum satis. Distinguere convenit inter hujusmodi scrupuli crises et verum statum scrupulosum. Uterque status sunt quaedam manifestationes ejusdem facti, idest cujusdam defectus aequilibrii inter tensionem psychicam, quae reperitur in quodam determinato individuo et illam, quae ex circumstantiis requireretur. Jamvero in quibusdam statibus particularibus depressionis

---

(1) Qui hanc quaestionem fusius inspicere cupiant, conferre possunt scriptum a me prolatum, cui titulus: « *Nevrosi e santità* ». Scuola Cattolica, febbraio-marzo 1912.

aut in casibus, in quibus difficultates speciali modo insuperabiles apparent, utique fieri potest ut in quodam subiecto habeantur manifestationes dubiorum, idearum obsidentium, agitationum coactarum; sed in hoc casu longe quidem absumus ab eo morboso statu, cui describendo vacamus. Quoddam factum referam.

Quandoque vidi individua quaedam, gravibus depressionibus organicis affecta, v. g. quum convalescebant, post morbum exhaurientem, exhibere quandam typicam explosionem scrupulorum. His in casibus necessarium minime erat curam habere manifestationis scrupulorum. Satis erat statum exhaurientem curare, per quem correlative reficiebatur tensio psychica atque scrupulus perfecte ac rapide evanescebat. Quod minime accidit in individuis vere et proprie scrupulis affectis, quoniam in iis habetur quaedam vera laesio psychica constitutionalis aut hereditaria. Jamvero gravis fuisset error hunc confundere casum cum casibus scrupulorum typicis, qui in psychastenicis occurrunt. Ex quo, quaedam deducitur conclusio magni ponderis: scrupulosi vere et proprie tales non existunt absque quadam laesione psychica constitutionali aut hereditaria.

Hanc conclusionem profecto omnes impugnant qui admittunt vel saltem in dubitationem adducunt influxum hereditatis quoad originem morborum psychicorum; sed animadvertimus quod valde difficile est antecedentia et anamnesiam (idest historicum factum precedentium) aegrotorum recolligere, atque quod in multis casibus, qui viderentur nullam exhibere hereditatem, e contra, si ulteriores persequeremur investigationes, illam graviter quidem laesam inveniremus.

Itaque, praetermissa hac quaestione, ex ipsis factis exquiramus quodnam sit momentum et valor antecedentium in scrupulis determinandis.

Ac ante omnia hereditatem consideramus.

§ 2. — De hereditate.

Omnes auctores fatentur maximi esse momenti hereditatem in morbis scrupulorum.

Pitres et Régis eo venerunt, ut dicerent quod quattuor partes ($^1/_5$) ascendentium sive in linea recta sive in linea collaterali scrupulosorum sunt individua psychastenica vel nevrophatica vel alienatione mentali correpta. Inter centum scrupulosos inspectos ille observavit sequentem proportionem deductionum neurophatîcarum:

Hereditas	similaris	paterna		5
		materna		24
		collateralis		10
	dissimilaris	pater aut mater	alienati, epilectici, hysterici	15
			alcoolici	14
			violentes, originales	14
		collaterales	alienati, epilectici, hysterici	
			alcoolici	18

Ex hoc schemate patet quanti sit momenti hereditas similaris, seu hereditas, vi cujus ascendentes et collaterales eodem morbo afficiuntur.

Janet adhuc subtilius collegit conclusiones morbi ex 170 casibus depromptas. Quae sequuntur sunt consequentiae centum casuum:

Hereditas ex 100 casibus	genitores, quorum morbus cognitus non est.		8
	tubercolosis, syphilis		12
	arthritici, articulari morbo laborantes		7
	alcoolici		15
	nevrophatici.		17
	mente alienati	genitores.	14
		collaterales	16
	psychastenici		28

Ad rem observat Janet quod etiam in 8 % casuum, in quibus nihil in parentibus inventum est, accurata inquisitio forsan in lucem edidisset aliquod elementum. Exempli gratia, quaedam alterationes typicae characteris, timiditas, auctoritarismus, pluris sunt, quam praeparatio quaedam ad statum psychastenicum, ob affinitatem cum symptomatibus, quae in psychastenico notavimus.

In his habitualibus statibus habetur auctoritarismus vel timiditas, i. e. quantum sufficit ad consumendum, tempore eunte, vigorem moralem, atque ad adducendum in periculum aequilibrium cogitationis.

Praeterea observandum est, quod hereditas, multis in casibus, cumulatur. Plures sunt casus, in quibus genitores inter et collaterales habentur alcoolici, mente alienati, suicidae, epileptici, hysterici, etc.

Et generatim omnes morbi, qui afficiunt vigorem atque aequilibrium systematis nervei, exempli gratia non modo quaevis nevrosis, sed etiam quivis morbus, veluti tuberculosis, hysteria, articularis morbus.

Verumtamen observandum est quod actio ultimorum horum morborum organicorum qui non afficiunt directe systema nerveum, est quaedam actio indirecta. Melius inferius videbimus.

Hujusmodi morbi — et praesertim typicus est casus tubercolosis aut status consumptionis quavis ex causa dependens — agunt quatenus diminuunt resistentiam totius organismi et ideo — etiam modo correlativo, propter strictam unionem, quae intercedit inter activitatem psychicam atque activitatem organicam — diminuunt tensionem psychicam, patrimonium energiae psychicae, qua quoddam individuum uti potest. Proindeque fit quod statim ac conditiones organicas normales in individuo quodam restituamus, simul vidimus — uti superius innuimus — quod evanescunt scrupulorum aggressiones.

Praeterea observandum est quod actio hereditatis non est absolute fatalis, uti quidam opinari vellent. Itaque, sicut influxus morales vitae, v. g. educatio — quod inferius videbimus — esse possunt causae sufficientes ad determinandum statum psychastenicum, sic agere quoque possunt corrigendo influxum hereditatis morbosae.

Exinde sequitur quod hereditas non est aliquid omnino ineluctabile. Atque si aetas sequens non potest vestigia funesta expungere, quae hereditas impresserat, diminuere tamen potest ejus valorem ac momentum. Et quidem sub hoc respectu aestimandum est quanti valeant educatio domestica, familiares consuetudines, schola.

Mala fortuna, genitores multoties gerunt vestigia ejusdem morbi (hereditas similaris) ita ut potiusquam reagant favorabiliter, eo veniunt ut augeant conditiones morbosas; puer, ut ita dicam, contaminatur contagione suorum parentum. Unde difficile est in examine medico sejungere id quod est haereditatis effectus, ab eo quod ex familiaribus consuetudinibus profluxit.

Insuper hereditas influxum multo funestiorem exercet, quum aliae verificantur conditiones, quae scrupuli evolutioni favent.

§ 3. — De sexu et aetate.

Hic, tamquam coefficiens, considerandus est sexus. Janet super 325 casus, observavit 95 mares et 230 feminas; seu ex feminis 71 % morbo corripiuntur. Observari posset quod mares minori tempore fruuntur, ut se ad medicum conferant expostulantes de morbo, qui etiam ipsi aegroto omnino videtur morbus psychicus; quod ipsi minus satagunt rerum particularium vitae

spiritualis; sed hoc confirmat quod ipsi minori utuntur aptitudine ut scrupulis corripiantur.

Etiam aetas influxum quendam exercet, at difficiliter determinari potest.

Et ratio patet; superius diximus quod, quo favorabilius est substratum, eo facilius morbus evolvitur, seu quo graviora sunt antecedentia, eo communiores esse possunt circumstantiae. Verum harum omnium circumstantiarum communis est character aegrotum ponere ante incredibilem quendam conatum. Hoc sane bene inspicitur, observando aetatem quando morbus apparet. Et reapse morbus qualibet aetate ac in quibuslibet circumstantiis apparere potest, quando abrumpitur aequilibrium inter vim, qua fruimur et necessitatem. In hoc consistit etiam ratio propter quam morbus non apparet in prima infantia, quo tempore necessitates extraordinariae nihil omnino existunt, neque in extrema senectute, cum amplius non existunt.

Quod eruitur ex tabulis statisticis Pitres et Régis, quae in epitomen cogunt observationes circa 250 aegrotantes, quaeque nobis ostendunt tempus, cum individua se prima vice ad medicum contulerunt.

Aetas					Mares	Feminae	Summae
a	11	ad	15	annum	2	4	6
»	16	»	20	»	5	7	12
»	21	»	25	»	17	15	32
»	26	»	30	»	14	36	50
»	31	»	35	»	17	28	45
»	36	»	40	»	11	27	38
»	41	»	45	»	8	18	26
»	46	»	50	»	7	8	15
»	51	»	55	»	6	5	11
»	56	»	60	»	2	4	6
»	61	»	65	»	5	2	7
»	66	»	70	»	1	0	1
»	71	»	75	»	1	0	1
					96	154	250

Et Janet super 301 observationes statuit:

Aetas					Mares	Feminae	Summae
a	5	ad	10	annum	0	1	1
»	11	»	15	»	4	6	10
»	16	»	20	»	9	19	28
»	21	»	25	»	11	35	46
»	26	»	30	»	16	43	59
»	31	»	35	»	12	33	45
»	36	»	40	»	13	26	39
»	41	»	45	»	6	16	22
»	46	»	50	»	3	15	18
»	51	»	55	»	10	7	17
»	56	»	60	»	1	6	7
»	61	»	65	»	2	3	5
»	66	»	70	»	0	1	1
»	71	»	75	»	1	1	2
»	76	»	80	»	1	0	1
					89	212	301

Hae duae tabulae monstrant, propter concurrentiam quae fortuita esse non potest, quod maximum habetur inter 26 et 30 annum aetatis.

Majoris momenti sunt tabulae, quae nobis exhibent aetatem, cum morbus apparet. Quoniam morbus multum per crises procedit, hinc facile aegroti vehuntur ut attribuant per originem ultimam crisim; ita difficile est perscrutari quodnam fuerit ejus initium.

Praeterea aegrotus ignorat quaedam phaenomena, quae praecesserunt manifestationem primarum crisium sicuti phobias, ruminationes etc. Quo magis autem accuratae reddantur observationes, atque quo magis interrogando aegrotos urgeamus, eo magis cognoscitur, quod perturbationes sunt antiquae, et magis parati sumus ad recipiendam, tamquam diem initii primorum phaenomenorum, aetatem multo juniorem; quo minus vero eos urgemus, eo minus juvenis esse aetas invenitur primi initii phaenomenorum.

Hinc incertitudo hujusmodi tabellae.

Utcumque en tabula statistica, quam exponunt Pitres et Régis.

Aetas					Mares	Feminae	Summae
a	5	ad	10	annum	6	8	14
»	11	»	15	»	8	24	32
»	16	»	20	»	2	9	11
»	21	»	25	»	4	10	14
»	26	»	30	»	4	9	13
»	31	»	35	»	0	9	9
»	36	»	40	»	1	1	2
»	41	»	45	»	0	2	2
»	46	»	50	»	1	1	1
»	51	»	55	»	1	0	1
»	56	»	60	»	0	1	1
					27	74	100

Ex hac tabula apparet, quod morbus initium facit inter annum 11 et 15 majori cum frequentia; quod concordat cum dictis auctorum, qui affirmant quod plus dimidia parte casuum incipit ante 15 annum aetatis exeuntem, plus quarta parte ante trigesimum.

Et etiam alii auctores animadvertunt, quod eodem tempore incidunt scrupuli et pubertas. Hujusmodi autem coincidentia pure exterior, aliam contegit coincidentiam, cujus nexus sane bene intelligitur simul ac cogitamus de iis, quae circa naturam psychasteniae diximus. Scilicet quaedam habetur coincidentia inter morbi originem et pubertatem *moralem*.

Perceptio sensationum novarum, earundem adsimilatio ad personalitatem, omnes sensus, quos secum ducunt, magnas afferunt difficultates vitae morali. Atque hoc tempore, cum juvenis, prima vice sibi proponit deliberationem electionis laboris suscipiendi, quando prima vice nonnulli actus sunt complendi, surgunt difficultates religiosae; ideoque est multitudo quaedam praeoccupationum, quae animum juvenis invadunt, quaeque

omnem ejus activitatem (1), ejusque debilem vim cogitationis occupant. Hujusmodi influxus, haec redundantia, ostendit equidem insufficientias psychicas, quae usque nunc in occulto latebant.

§ 4. — De conditionibus psychicis determinantibus.

Quaecumque sit efficacia, quam hereditas habet tum, cum morbus exurgit — ad quod redibimus, ut melius inspici possit connexio inter hereditatem et conditiones disponentes — nihilominus certius est, quendam existere cumulum conditionum exteriorum, quae procul dubio quandam exercent efficaciam. Certe quidem inter eas et morbum, relatio quaedam apparet, cui nos studere debemus.

His conditionibus duplex adsignatur categoria: aliae sunt *physicae*, aliae sunt *morales*.

Diversissimae sunt causae physicae: labores, immoderationes, traumatisma, morbi graviter debilitantes, puerperium. Evidenter statim admittere debemus quod influxus multorum horum morborum prorsus nihil directus est. Dicitur quod debilitas ex his conditionibus determinata (v. g. quaedam enormis immoderatio laboris, quaedam febris typhoida exhauriens), ea est, quae psychasteniam producit. Sed observari facile potest, quod esse possumus debilitati, phtysici, anemici quantumvis, et spiritu forti praediti, dum uti possumus valetudine physica singulari et esse sensibiles sicut puellae.

Id quod est verum est, quod, qui afficitur quadam praedispositione psychophatica vel jam exhibet aliquod symptoma psychastenicum, perspicit quod hujusmodi

(1) Iuxta Janet aetas, cum facilius apparent hujusmodi perturbationes, est inter annum 15 et 20. Pro casibus aetate 11 vel 15 annorum inferioribus, quemadmodum alii auctores vellent, facile intelligitur quando prima communio esse possit causa explosionis crisis psychastenicae.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

status et symptoma ingravescit sub influxu laboris et debilitatis (1). Quod patefacit statum quendam psychicum qui primo in occulto latebat (2).

Attributae sunt scrupulorum crises, sicut generatim omnes psychonevroses, statibus alteratae permutationis organicae, seu processibus biochemicis immutatis, prouti sunt, verbi gratia, arthritismus et herpetismus. De hac re nos quaestionem praetermittimus, quia nobis disserendum esset de legitimitate hujus duplicis formae morbosae, quam Gallica medicina admittit. Mihi observare satis erit, quomodo reapse nonnulli adsint casus, in quibus hae generales alterationes agere directe possunt in cerebrum, et ita statum psychastenicum producere. At probationes peremptorias non habemus, sed « tantum conjecturas quasdam, aut impressiones (3), ait Dubois, quas saepenumero in dicta transformamus, quae duram habent vitam ».

---

(1) Exceptis, uti intelligitur, iis casibus crisium brevium scrupulorum, de quorum origine, comparata cum temporanea depressione tensionis psychicae, superius mentionem fecimus.

(2) Id valet pro omnibus psychonevrosibus. De multis scrupulosis, idem dicendum foret quod Dubois de pychonevrosi in genere dixit. « Tribuitur, ipse ait, nervosismus anemiae, et singulis diebus aliquam dominam video, quae nullum verbum sui medici mihi dicit: " Medice, ego anemia afficior neque ferrum tolero ,,. Hoc in casu, multo fortius ego profiteor, quam cum adducitur, tamquam causa, labor. Anemia locum non meretur, ne inter quidem agentia, quae nervosismum provocant. Per multos annos examini subieci sanguinem omnium aegrotantium, atque perspexi, plerumque aegrotos, nervosismo affectos anemicos non esse ».

Ceterum veri anemici non exhibent eadem symptomata. Ipsi non exhibent stigmata characteristica nevrophatici. Denique in casu, in quo anemia cum nervosismo complicatur, independentia duorum statuum ex facto manifestatur, quod suppressio anemiae (mediante ferro vel arsenico) pro nihilo determinat sanationem systematis nervei.

(3) *Les psychonévroses,* pag. 220.

Pariter idem auctor, postquam comparavit successus magni quidem momenti, qui habentur in curando statu psychastenico curâ psychicâ, cum successibus nullius momenti, qui habentur in curandis his generalibus statibus — arthritismo, herpetismo — quod confirmat diversitatem naturae hujus duplicis formae, addit: « Minime vero, stygmata psychonevrosis nimis psychica sunt, perturbationes functionales nimis sub dependentia representationum mentalium sunt, ut unice attribui possint cuidam vitio constitutionis textorum, statui umorum. Nos sumus nevrastenici, hypocondriaci, psychastenici non quo utamur organismo malis affecto conditionibus, sed tali utimur statu, quia hic derivatur ex hereditate, ex atavismo, ex educatione, ex propriis conditionibus mentalibus ».

Hoc vero non significat quod non habeantur quidam casus, qui causis somaticis debentur. Hac de re jam superius mentionem feci. Sed eorum momentum et numerum minuenda sunt.

Ultimus influxus, quem breviter attingere debemus, est influxus sexualis. Mansturbatio repetita, et abrumptio copulae, et generatim onanismus coniugalis, habere videntur, juxta inquisitiones Freud, notabilem quendam influxum, de quo tamen dubitant Janet, Marro, Pitres et Régis, quibus satis est notare, quod facta sexualia heic exercent quandam actionem deprimentem, sicut in omnibus nevrosibus.

Ad me autem quod attinet, quosdam casus observavi, in quibus priores crises apparuerunt quidem occasione consuetudinum neomalthusianarum, et in quibus crisium sanatio, tunc habita est, cum ejusmodi consuetudines omissae fuere.

§ 5. — De conditionibus moralibus determinantibus.

Ex hactenus expositis clare liquet, quam parvi sint momenti causae physicae, atque ex contrario, quam magni sint momenti causae morales.

Statim autem notamus quod, uti supra diximus, potiusquam de causis, de conditionibus loqui deberemus, seu de causis occasionalibus, vi quarum quaedam insufficientia psychologica manifestatur, quae jam in occulto latebat.

Electio cujusdam conditionis socialis, quaestio vocationis, sponsalia, praesertim in puellis, totidem sunt occasiones in quibus necessarium est quendam enormem laborem psychicum perficere, et in quibus saepenumero individua praedisposita nanciscuntur principium morbi. Hujusmodi causas morales analysi subjicere difficile equidem est, quia ipsae numerosae ac diversae sunt, et praesertim, quia officium admodum diversum exsequuntur in constitutione hujus status psychici.

Ita, observat Janet, aliae interveniunt ad graviorem reddendum aut determinandum statum depressionis tensionis psychicae, qui est morbi initium; aliae ex adverso phaenomena quaedam derivativa determinant (cfr. sup. cap. V, pag. 203, sq.) atque sunt simpliciter occasio, propter quam insurgunt ruminationes aut phobiae, dum tensio psychica jam primitus depressa erat; aliae subiecto interpretationem quandam praebent de eo, quod diu saepe in seipso reperit, ac occasio sunt, cujus gratia obsessiones producuntur.

Saepe saepius, omnes hae circumstantiae, quae officia tam diversa exsequuntur, inter se confunduntur, ac auctores satis habent enumerare sine ullo ordine seriem quandam eventuum vitae subiecti, qui quendam

videntur habere influxum in determinando vel in graviorem reddendo morbum.

Inter causas morales *character*, primus omnium numeratur.

Scrupulosus, quodam utitur charactere, qui facile recognosci potest; constituitur ex phaenomenis, quae analogiam dicunt ad ea quae descripsimus respectu insufficientiarum et crisium derivationis.

Primo inveniemus, sed in quodam gradu debiliori, omnes formas defectus voluntatis *(abuliam)*. Hi aegroti incapaces sunt ad volendum, ad consilium sumendum, ad agendum. Ipsis praesertim aliena est actio socialis, et proinde ipsi sunt timidi, non capaces agendi, loquendi coram aliis hominibus. Etiam, aliis remotis, non sunt capaces agendi, aut, ad summum, male agunt. Incerti, inire consilium non cupiunt, semper timent pondus imputabilitatis propriae actionis. Ipsi in eam consuetudinem veniunt, ut se regi ab eventibus patiantur, atque se aliorum directioni committant; eorum animus luctationem horret, nullaque insufficientia est tam magna ut eos impellat ad luctandum pro ipsa. Ipsi praeferunt id quod amant, atque id, quod ipsorum interest, ei quod ipsis est faciendum. Propterea lento animo sunt. Haec parva curatio suorum commodorum, hoc desiderium vitandi luctationem, eos maxime honestos reddit; ipsi sunt incapaces cogitandi damnum alicui inferendi. Difficultates, quas agendo nanciscuntur, et repugnantiam, quam habent ad consilium capiendum, illud efficit, ut parvi faciant id quod est practicum, id quod est vitae quotidianae, et ex adverso pluris habeant universalitatem idearum.

Etsi parum capaces sint attentionis innixae in utilitate ex rebus percepta, tamen sunt intelligentia praediti, spiritu subtili fruuntur, sunt capaces observandi et comprehendendi res morales, memoria extraordina-

ria utuntur atque multa imaginatione. Potius in futuro, praeteritoque tempore vitam degunt, quam in praesenti. Se speciebus inanibus *(rêveries)* permittunt; quod est vagum, diligunt, ac praesertim id quod nullam requirit applicationem. Insuper violentium emotionum capaces sunt; sed interdum ita frigidi remanent, ut emotivitas sit irregularis.

Hae emotiones, quas timent eo quod ipsae eos ad agendum obligant, amicitiae, quas quaerunt, ut aliis onus consilii capiendi imponant, haec hostilis universitas rerum, quam metuunt, ne cum ipsa semper luctari debeant, haec consilia, quae in vita practica continuo sunt capienda, hoc omne eos perpetua cura afficit, quae extrinsecus in agitationem inutilem resolvitur.

Itaque scrupulosus, etiamsi extra suas crises consideretur, funditus characterem quendam specialem habet, qui considerari debet, tamquam conditio quaedam favorabilis, propter generationem ac explosionem suarum crisium, quique est abulicus, timidus, luctationis expers, ideis affluens, emotionabilis, et in primis inquietus.

Ejusmodi character, modo quidem notabili, morbum praeparat.

Post influxum characteris, commemorandus est *influxus educationis.*

Janet animadvertit, quod multoties genitores falso educando praeparant crisim scrupulorum. Id contingit quum genitores, etsi scrupulis non afficiantur, tamen charactere valde simili praediti sunt. Et plus etiam coefficiens quoddam praeparant, quod non affert consuetudinem regendi aut exercendi voluntatem.

Educatio vero et character sunt duae conditiones anteriores. Aliae extant causae morales, quae peragunt officium magis directum super morbi explosionem, tam-

quam causae occasionales; et heic habentur *omnes circumstantiae difficiles vitae.* Quum vita est in magnis difficultatibus ob permutationem ordinarii processus rerum, ob fortunae vel cordis crisim, ob difficultates, quae in exercenda propria professione insurgunt, statim oriuntur prima phaenomena.

Ita saepe auctores notarunt, quod res accidit causâ matrimonii. « Omnia, ait Janet, ita bene parata sunt, ut dici possit matrimonium a se solo factum fuisse ; attamen momentum venit, quo aliquid etiam nostra debilitas facere debet, nempe exprimere consensum sacramentalem. Consilium capiendum est; nimirum decernendum est utrum matrimonio consentiamur necne. Tum primum fit, ut subiectum cogitet, se revera eum esse, cui consilium capiendum est. Et tunc oritur crisis; quia aegrotans propter depressionem suae tensionis psychicae, incapax fit consilii capiendi, ejusque conatus nihil aliud efficiunt nisi ut producant motus derivationis indefinitae, dementiae dubii, angorum.

Sed multiplices sunt casus vitae atque numerosissimae sunt vitae circumstantiae, quae determinare possunt principium morbi, mediante mechanismo quodam, qui finitimus est ei, quem nuper descripsimus.

Quidam professor suggestum ascendere debet, quaedam puella facere debet primam communionem, quidam juvenis genus vivendi sibi constituere debet. Praeterea memorandae sunt circumstantiae quae aegrotum nostrum obligant ad conatum perficiendum, ad exercendam luctationem, quam semper evitare contendit; ita ex. gr. si periculum subire debeat.

Praeter hujusmodi facta, ea commemoranda sunt, in quibus subiectum factum est aegrotans, tum cum amisit personalitatem, quae reapse pro eo conatus ponebat, atque pro eo consilium capiebat.

Denique inter causas morales, memorandae sunt *emotiones*.

Tamquam emotiones interpretari possemus interrogationes, quae insurgunt propter doctrinas religiosas, v. g., tempore primae communionis, aut post actus mansturbationis ; sed praestantiores sunt casus spectantes emotionem propter aspectum cujusdam mortui, cujusdam delicti, etc.

Ejusmodi omnes conditiones morales, occasionales, efficiunt, ut praedispositio, quam character et hereditas producit, eo veniat ut paullatim constituat morbum.

§ 6. — Conclusio.

Itaque descripsimus quaenam sint conditiones aetiologicae, quae determinant psychasteniam. Hinc rectius intelligi possumus quod ab inito diximus, nempe quod, *psychastenia est morbus constitutionalis et haereditarius*.

Is evolvitur in individuis magna hereditate morbosa affectis, atque praemature oritur, ut plurimum, tempore pubertatis, modo insidioso, nulla praexistente causa physiologica, quae adsignari possit, tamquam causa determinans. Insuper ipse evolvitur in individuis quadam typica physiognomia characteris praeditis, quam supra descripsimus, atque evolvitur sub actione cujusdam causae moralis, cujus momentum, primo aspectu, videretur inadaequatum, sicut quaedam emotio.

Ad hanc praecipuam speciem scrupulosorum, accedit categoria individuorum, in quibus nihil hereditarii invenitur, quaeque nihil exhibent in constitutione psychica. In ipsis, postquam causa quaedam debilitans, cujusvis generis, actionem quandam in organismo exer-

cuit — v. g. aliquem morbum debilitantem — crisis quaedam scrupuli oritur.

Hae duae classes aegrotantium a diversis auctoribus distributae sunt, v. g. a Morselli, Ventura, Régis, Féré, Séglas, etc.

Verumtamen sub aspectu practico ejusmodi classificatio nullius est momenti. Nam prior classis praedita est quodam reali charactere clinico, quo caret altera classis, quae complectitur parvum numerum casuum. Nimirum in priori categoria habetur regulariter et systematice id, quod in posteriori casu est sporadicum, accidentale, temporaneum. Ac quod hujusmodi distinctio nullius pretii sit, manifesto apparet etiam si res sub aspectu therapeutico consideretur; dum enim prior categoria veram requirit curam, quam in sequenti capite descripturi erimus, e contra crises scrupulorum, quae alteram categoriam constituunt, evanescunt simulatque organismo reddantur conditiones physicae normales.

Itaque characteribus scrupulosis statutis, designata theoria, quae eorum explicat mechanismum, causis inspectis, quae hunc morbum determinant, nihil aliud remanet, nisi curae methodos describamus; quod antequam perficiamus, convenit videre quomodo hic morbus a ceteris distinguatur, ita ut confessarius medicusque possint *diagnosim* peragere, necnon indicium praesignificare *(prognosim)* simul ut aegrotus quidam ad eos se conferat.

Caput octavum.

De diagnosi et prognosi.

1. *Introductio.* — De necessitate instituendi diagnosim et prognosim.
2. *De diagnosi.* — *a*) De modo instituendi diagnosim. Alii casus exhibent facilitatem, alii vero magnam difficultatem. Semper adhibenda est prudentia. — *b*) Tentationes et scrupuli. Eorum relationes et differentiae. — *c*) Neurasthenia et scrupuli. De singulari difficultate et de modo hos morbos superandi. — *d*) Confusio mentalis, dementia precox et scrupuli. Eorum differentiae. — *e*) Paralysis progressiva et scrupuli. In nonnullis casibus confusio oriri potest. — *f*) Hysterismus et scrupuli. Graves occurrunt difficultates. Quaenam normae sequendae. — *g*) De difficultate constituendi limites bene definitos. — *h*) Dementia et scrupuli.
3. *De prognosi.* — De necessitate constituendi prognosim. — *a*) De prognosis gravitate. — *b*) De characteribus aggravantibus. Hereditas, aetas, sexus, etc. — *c*) De prognosi respectu habito ad varia morbi momenta. — *d*) Quid sperandum ex curis, quae proponuntur.

§ 1. — Introductio.

Ut rationabiliter statuantur criteria fundamentalia, quibus induci possimus ad obtinendam curam efficacem scrupulorum, ante omnia convenit firmiter statuere *diagnosim* et *prognosim*.

Nimirum ei qui curationem alicujus scrupulosi suscipit nosse necesse est discrimen inter illum et alios aegrotos cum quibus confundi posset *(diagnosis)* et statuere quinam exitus ex cura haberi possint in casu particulari *(prognosis)*.

Igitur exponenda sunt criteria, quibus medicus et confessarius pro certo habere possint vere scrupulis affici aegrotum, qui se ad eos confert; quibusque statui possit quinam erit decursus ulterior morbi.

§ 2. — De diagnosi.

a) — *De modo instituendi diagnosim* (1). — Videamus quomodo constituenda sit diagnosis.

Sunt casus in quibus diagnosis nihil difficultatis affert. Si quis confessarium vel medicum adeat qui, non obstantibus suis conatibus, nequit tamen certitudinem consequi respectu quaestionum futilissimarum, quique tempus perdit in his considerandis quaestionibus, jam exinde dubitatio moveri potest ipsos scrupulosum nactos esse; atque paulum progredi sufficit in faciendis interrogationibus, ut certam diagnosim constituere possint.

Attamen caute procedere oportet. Multoties aegrotus noscit se scrupulis affici; siquidem de hoc certior factus est, sed veram sui morbi naturam celare conatur. Et reapse si scrupulosus seipsum considerare debeat tamquam scrupulis affectum, tunc fit ut is considerare debeat tamquam stulta sua dubia; et hoc illud sane est quod facere non potest, quoniam ei hoc videtur in periculum adducere normam moralem, quae suam dirigit vitam. Quopropter scrupulosus alios atque alios confessarios medicosque adit, quin eos de vero rerum statu praemoneat. Narrat igitur sua dubia, suas obsessiones spe ductus aliquem nanscisci confessarium aut medicum qui suas dubitationes reales esse putent. Atque si confessarius medicusve prudentes non sunt, duci possunt ut fidem aegroto praestent, ac considerent ejus

(1) Pro uberiori hujus rei expositione vide caput IX § 5, in quo agitur de interrogationibus aegroto faciendis. Ex istis enim tota nostra defluit diagnosis.

phobias plenis confirmatas probationibus. In hoc casu ipsi gravi detrimento aegroto sunt, ejusque obsessiones, sua auctoritate, confirmant. Ergo semper maxima prudentia opus est. Et quomodo? Non fieri potest ut verbis hoc significetur. Hic omnia docet personalis experientia, quae intimas aegroti cogitationes arripere valet. Et quum confessarius medicusve aiunt: « Sed tu scrupulis afficeris », aegrotus respondit: « sane quidem, alii hoc mihi dixerunt, at de hoc tacui ut certum sciam utrum reapse ego scrupulis afficiar ».

Idcirco numquam desint diligentia et prudentia. Plures enim aegrotos novi, quos pessumdederunt (quo verbo sane utendum est) confessarii vel medici omnis eruditionis expertes.

Hinc necessitas constituendi diagnosim differentialem.

b) — *Tentationes et scrupuli.* — Et ante omnia distinguamus oportet scrupulos a tentationibus, cum quibus in aliquo casu facile confundi possunt. Ipse aegrotus fraudem struere potest; siquidem is in confessione instituenda plus semper dicit quam ipse credit, et plus credit, quam patitur veritas.

Aegrotus credit (vel in quibusdam casibus adducere ad credendum vult) se minime esse scrupulis affectum: se utique circumventum esse tentatione, cui procul dubio consensum praebuit.... « Quum individuum quoddam coniunctas perspicit res turpissimas cum rebus sanctissimis, tunc non agitur — ita scrupulosus ait — de quadam idea obsessiva, sed de quadam vera tentatione.... ». « Atque utinam saltem pro certo habere possem me consensum non praestasse.... » Et ita porro. Lectores qui me usque nunc secuti sunt, ad memoriam revocent exempla superius allata, quin opus sit alia adducere.

Equidem facile occurrere potest, quod confessarius, nisi multa prudentia diligentiaque praeditus sit, scrupulos cum tentationibus confundat. Re quidem vera multoties, uti vidimus, obsessiones exoriuntur in illis circumstantiis, in quibus aegrotus longissime disiunctus esse deberet a malo, sicuti, v. g., tempore orationis vel Communionis. Qua de re confessarius animum attendat! Facile equidem valde est tentationem cum scrupulo confundere. Cautus ac diligens sit confessarius, neve animo prono promptoque ad fidem tribuendam iis, quae aegrotus affirmat. Fortunate quidem nonnulla fundamentalia criteria extant, quae utilitati esse possunt iis quoque, qui minori gaudent aptitudine.

Procul dubio scrupulosus committere potest peccata, et tentationes pati, atque haud difficile est individua nancisci, quae, respectu cujusdam actus, sunt vere scrupulis affecta, dum respectu aliorum actuum maxima gaudent libertate atque facile peccata committunt et fortes patiuntur tentationes. Verum notandum est rarissime contingere, quod ipsi culpa afficiantur vel etiam tentationes patiantur in ordinem ad illud, circa quod scrupulis corripiuntur.

Praeterea ad memoriam revocetur quid sit tentatio et sub quanam forma nobis exhibeatur. Tentatio est incitamentum quoddam ad malum sub forma imaginum, vel idearum (1). At ea characterem habet longisssime diversum a charactere ideae obsidentis. Idea obsidens est abnormis, excessiva. E contra tentatio quendam normalem ordinem praebet ex aliis ideis subiecti nexum. Sunt leges adsociationes idearum vel imaginum illae,

(1) Evidens est quod data definitio est utique *psychologica*, quum nos rem tractemus sub aspectu psychologico. Attamen considerationes, quas fecimus, valent etiam si tentationes scrupulosque sub aspectu morali consideramus. Ad hoc cfr. opera, quae in lucem protulerunt Lehmkuhl, Genicot, Ballerini aliique moralistae.

vi quarum tentationes exsurgunt (1). Tentatio habet, ut ita dicam, quendam ordinem logicum et psychologicum sibi proprium. Insuper dum sufficit tentationem detestari ut ipsa evanescat, ex adverso cognitum habemus ideam obsessivam tanto magis persistere, quanto majores sunt subiecti conatus ad eam repellendam.

Hinc sane scribit Emyeu : « Et reapse tentatio non existit si ego eam sponte detestor. Quod resultat ex ipsa definitione tentationis dummodo bene intelligatur : « Incitamentum ad malum ». Ad malum *morale*, inquam, quod simul intelligitur; sed tunc hoc incitamentum debet allicere, sollicitare non modo instinctum sed etiam liberam voluntatem; quae una est quae in actum quendam demittere potest characterem humanae personalitatis, id est personalitatis completae, quae est sui ipsius compos, domina suorum actum quaeque eorundem rationem reddere potest; ea una est ad quam spectat ad effectum perducere bonum morale, quaeque sola per consequentiam potest ab hoc deficere. Usque dum aliquid eam non inclinet ad defectionem, usque dum nullum incitamentum ad malum eam alliciat, aderit vel impressio, vel idea, vel imago, vel obsessio, vel accepta violentia, vel quodcumque vis, sed tentatio minime. Conscientia patitur; sed ad consentiendum non allicitur; id est quod fere semper contingit in his impulsionibus etiam quum corripiunt, apud scrupulosos, virtutem cui maxime adhaerent; id est quod praesertim contingit tum quum hae imagines recrudescunt una cum vehementiori amore erga puritatem tempore orationis vel communionis. Ergo, a fortiori, tentatio non existit quando, tum instinctum, tum voluntas, rebellionem faciunt contra ideam pravam, quaemadmodum evenit apud hos miseros, qui vexan-

(1) Planum est quod loquimur tantummodo sub aspectu psychologico.

tur ideis seipsos occidendi, propterea quod timent sui ipsius occisionem, aut apud illas matres, quae loquuntur de suis filiis occidendis propterea quod eos vehementi passione diligunt » (1).

Haec phaenomena existere diuturna observatio probat, explicatque theoria. In praesenti advertere sufficit, quod hujusmodi obsessiones, etsi nonnullas species praebeant, tamen tentationes non sunt. Ad recte diagnosticum statuendum in casibus concretis, necesse erit prae oculis habere subiectum quod has malas ideas experitur, necnon conditiones, in quibus ipsae exhibentur. Oportet ergo videre quomodo subiectum adhaereat virtuti, quae in periculum adducitur a tentatione, atque statuere quamnam efficaciam habeat in productione spontanea tentationis dissociatio conscientiae. Quo majori foeditate idea afficitur, et quo magis extra tempus apparet, eo magis consideranda est veluti absolute pathologica.

His indicationibus recollectis, facile concludere possumus utrum adsit obsessio pura, an tentatio realis. Et parva sufficit experientia ut capaces simus, generatim, hanc differentiam illico discernere, primis verbis aegroti.

Et diagnosis differentialis est prorsus maximi momenti, quoniam cura cujusdam individui scrupulis affecti est penitus diversa, a cura quae adhibenda est erga individuum tentationibus obnoxium (2).

---

(1) *Op. cit.*, pag. 187.

(2) Quamvis hic non sit loquendum de curatione adhibenda, tamen facere non possum, quin aliquid dicam de cautela quadam observanda, de qua latius locuturus ero cum describenda erit scrupulosorum cura.

Minime est subiecto relinquenda facultas distinguendi inter tentationem et scrupulum. Mentionem faciam de quodam typico casu. Mulier quaedam ideis obsessivis circa res sexuales vexabatur, quae respiciebant res religiosas. Quidam sacerdos ei ad

c) — *Neurasthenia et scrupuli.* — Diagnosis differentialis majoris est difficultatis in aliis formis morbosis. Quaenam sint principales videamus.

Hic primo loco invenitur *neurasthenia.* Fortunate autem, uti scribit Janet, non est res magni momenti hujusmodi distinctiones statim statuere ac scrupulosum quendam manciscimur. Serius facilius erit tales diagnoses differentiales instituere, nec ullum afferre poterit detrimentum ejusmodi retardatio. Reapse neurasthenia est adhuc morbus valde indeterminatus ; et probabiliter comprehendit quendam magnum numerum alterationum, quae sunt simpliciter initia quaedam aliarum nevrosium et psychosium. Usque dum morbus proprios non recipit characteres, non est magnum inconveniens hac vaga voce neurastheniae uti, quam libenter quoque aegrotantes accipiunt. Numquam tamen ex memoria discedat quod neurasthenia, sese evolvendo, quosdam potest procreare status psychastenicos plus minusve graves.

Sed potestne praevideri quaenam sint neurastheniae periculosae sub hoc respectu et potestne recognosci momentum, quum ipsae sese transformant, et aliud nomen merentur accipere? Planum est quod neurasthenici, quorum hereditas afficitur, et quorum mor-

---

legendum librum dedit de scrupulis, recenter editum, qui magnum favorem nactus est (RAYMOND, *La guida dei nervosi e degli scrupulosi).* Factum est ut aegrota legeret quod necesse erat distinguere inter scrupulos et tentationes, ac quod in quibusdam casibus non habentur scrupuli, sed tentationes. Quod satis fuit ut in seriem quandam infinitam ruminationum mentalium involveretur.

Consultius est ut quisque confessarius ipse singulum casum definiat, atque singulis in casibus hoc notetur, saltem in principio, et dicat: Hoc est tentatio, hoc est scrupulus. Et exigere debet (iis mediis utens, quae inferius exponam) ut poenitens stet ei, quod judicatum fuerit.

bus insidiose initium sumpsit per causas physicas aut morales nullius momenti, magis praedispositi sunt ad hanc evolutionem.

Ratio quoque habenda est de praevalentia symptomatum psychicorum super symptomata physica. Demum in ordine ad symptomata psychica sequentem instituere possumus observationem. Nonnulli aegroti magna corripiuntur abulia, incapaces sunt attentionis praestandae, atque continuis afficiuntur amnesiis, sed hoc ipsi percipiunt absque ulla sollicitudine; ipsi quam parum afficiuntur iis sensibus incompletionis, qui sunt pychastenici proprii. Non est timendum ne in ipsis exurgant obsessiones, quae constituunt proprietatem quandam psychastenici. E contra, si aegrotus quidam affectus symptomatibus neurastheniae praesertim moralis, affirmat « seipsum non amplius recognoscere », « se alienum esse a mundo », « se quasi duplicatum sentire »,« se percipere characterem automaticum suorum actuum », tunc sufficiens adest ratio cur timeamus ne status neurasthenicus gravior fiat causâ ruminationum, phobiarum, obsessionum. His regulis prae oculis habitis, facile est decernere quomodo se quisque gerere debeat, quum nescit utrum aegrotus sit scrupulosus an neurasthenicus.

d) — Confusio mentalis, dementia praecox et scrupuli. — Insuper magni est momenti distinguere psychasteniam *a confusione mentali acuta vel chronica.* Nos vidimus quod confusio mentalis apparet ad instar cujusdam accidentis in decursu statuum psychastenicorum; at si confusio mentalis fit levis, confundi potest cum periodo insufficientiae psychologicae obsessionum.

Diagnosis autem magni est momenti respectu illarum confusionum chronicarum et lentarum, quae in juvenibus enascuntur, quaeque nomen obtinent *dementiae praecocis.*

Distinctio harum formarum et psychasteniae proprie dictae theoretice est valde simplex. Psychastenia (et in hoc habetur quaedam analogia cum hysterismo) non afficit nisi functiones magis elatas spiritus (activitatem mentalem, accommodationem ad praesens, accommodationes ad circumstantias sociales prouti momento praesenti occurrunt) perceptionem, sensumque realitatis factorum actualium, productionem rerum novarum credendarum, uno verbo, ea non afficit nisi illam partem spiritus quae adhuc est constituenda, et evolvenda, seu ea non est nisi cunctatio quaedam evolutionis. Laesio dementiae praecocis afficit functiones antiquitus consociatas, seu adsociationes quasdam jamdudum peractas, sensus et instinctus quosdam valde antiquos. Character essentialis, vi cujus inter se differunt hi duo morbi in hoc consistit, quod dementia praecox est alteratio quaedam mechanismi psychologici, dum psychastenia est insufficientia quaedam quae verificatur in activitate psychica.

Mala fortuna hujusmodi distinctio simplex quidem in theoria, fit difficillima in praxi; quia dubia, sensus incompletionis, abuliae, opinionem praebere possunt quandam adesse alterationem functionum psychicarum, neque semper facile est harum functionum psychicarum integritatem evidenter ostendere. Obligamur ut fiduciam habeamus in praesentia vel absentia quorundam symptomatum plus minusve clare consociatorum cum conservatione integritatis spiritus aut cum ejus alteratione. Sensus incompletionis, dubia, angores, ipsae obsessiones, si de iis censuram agatur, minime consociantur cum quadam vera alteratione. Ex contrario, negatio perpetua sine ratione, sine mania mentali, vel sine quadam idea fixa, quae illam explicet, perpetuae iterationes cujusdam motus nullius significationis et utilitatis, quin ab initio habeatur mechanismus mentalis τοῦ *tic*, dissociationes inter ideas et characterem, inter

ideas sensusque, discessus sensum et instinctuum naturalium, sunt signa quaedam gravia, quae cogitationem iniciunt de quadam profunda alteratione. Sed difficultates remanent saepe valde graves, atque, dumtaxat studio quodam serio peracto de dementia praecoci, fieri poterit ut eas minores reddamus.

e) — Paralysis progressiva et scrupuli. — Graves nancisci possumus difficultates in distinguendis statibus psychastenicis et initiis *paralysis progressivae.* Hic ea occurrit difficultas, quam nanciscimur in distinguenda neurasthenia et paralysi generali in suis principiis. Narrat Janet se olim magnam periclitatum esse dubitationem. Aegrotus quidam quadraginta et quinque annorum, magni ingenii, nobili genere natus, se ultro ad medicum contulerat; quod significabat eum plane conscium esse sui morbi; is querebatur de diminutione voluntatis, attentionis, et memoriae, de quibusdam sensibus automatismi ed de quodam statu permanenti inquietudinis. Eodem tempore Janet a familia certior factus est aegrotum triginta annos natum agitatum esse quadam vehementi crisi idearum obsidentium aemulationis et persecutionis. Alioquin aetas jam superior, integritas intellectualis ac alta potentia voluntatis per majorem vitae partem, quidam parvus tremor linguae et laborium, quaedam parva inaequalitas pupillaris, necnon quaedam syphilis anterior, dubitationem iniecerunt agi de paralysi progressiva. Diagnosis tamen in consilio impugnata est; mala fortuna eventus rationem Janet reddiderunt, et duos post annos aegrotus obiit ob accessum epileptoidem. Difficile erit similibus in angustiis esse; signa physica paralysis generalis, evolutio dementiae quae procedit profundior quam perturbatio psychastenica nos generatim sinent facile pervenire ad diagnosim constituendam.

f) — Hysterismus et scrupuli. — Quam maximi momenti est diagnosis differentialis in *hysteria*. Vera diagnosis facienda est, examen instituendo circa formam psychicam, quam recipiunt principales perturbationes. Perturbatio principalis hysterismi afficit perceptionem personalem phaenomenorum atque determinat constrictionem quandam relate ad conscientiam; exinde consequitur quod character proprius hujus morbi mentalis est completa suppressio quorundam factorum, et aliorum exaggeratio. Dum sensationes, recordationes, imagines motrices, complete discesserunt a conscientia personali, quod constituit anesthesias, amnesias, paralyses, etc, e contra phaenomena psychologica conservata, usque ad extremum perveniunt; verificantur impulsiones quaedam ad actus, qui complete perficiuntur (saltem tempore quorundam crisium), completae hallucinationes cum falsis realitatis imaginibus, persuasiones quaedam, quibus resisti nequit. Id est quod hystericum constituit, restrictio quaedam, conscientiam afficiens (1). Ex adverso psychastenici exhibent depressionem quandam conscientiae in sua integritate. Ipsi nullam exhibent deficientiam ex his, quas hystericus praebet; seu neque exhibent anesthesias, neque amnesias, neque paralyses, neque conscientiae duplicitatem, neque suggestionem, quae phaenomena omnia derivant ex restrictione quadam conscientiae. Alioquin vero hujusmodi generalis depressio, quae minime redintegratur ex quadam restrictione conscientiae, ipsis sensus incompletionis praebet multo majores quam qui habentur in hysterismo. Dum hystericus omnibus sensibus extremis afficitur, vos e. g. diligit vel vos detestatur aequali cum perfectione, ex contrario scrupulosus haud unquam exacte scit utrum

(1) Haec est theoria circa naturam hysterismi, quam sequor. Hic certe sermo instituere non possum de aliis quam plurimis theoriis.

vos diligat an detestetur; hystericus nulla exhibet phaenomena, sed alia exaggerat; psychastenicus omnibus phaenomenis corripitur, sed nullum exaggerat, nec ullum ad finem adducit.

Si phaenomena singulatim considerentur in utroque, reperientur consequentiae harum magnarum differentiarum. Anaesthesia, amnesia, duplicitas conscientiae, conferunt phaenomenis automaticis hystericorum, agitationibus, sic dictis *tics*, impulsionibus, perfectionem quandam et regularitatem, quae non existunt in aliis aegrotis. In omnibus manifestationibus morbosis psychastenicorum habetur incompletio quaedam characteristica.

Nonnulli sunt auctores qui autumant neurastheniam et hysterismum inter se confundi, et saepe sociari. Id contingere potest ab initio, quum symptomata status psychici sunt adhuc parum apparentia; sed hoc periodo diagnosis differentialis minime institui potest. Ad hoc propositum uti possumus veteri voce « *nervosismi* » quae sufficiens erit ad designandam hanc vagam perturbationem psychicam. At, morbo progrediente, quaelibet confusio fit impossibilis; plerumque aegroti quam primum clare ostendunt symptomata unius alteriusve duarum formarum depressionis phychologicae.

Hi sunt morbi cum quibus confundi potest psychastenia, atque tales sunt characteres, quibus hi morbi distingui possunt.

g) — *De difficultate statuendi limites bene definitos.* — Nunc sunt instituendae nonnullae considerationes in genere.

Omnibus morbis definitis et distinctis, dicendum est quod cospectus, quos comparative de his morbis descripsimus, sunt purae abstractiones. Reapse sunt dumtaxat aegroti, atque inter varias aegrotorum categorias non exstant illae limitationes bene definitae, quas theo-

ria statuere conatur. Re extant casus « *limites* » sic dicti et etiam alii mixti, seu, re, causae morborum eorumque symptomata plus minusve commiscentur. Tentatio non est scrupulus, sed scrupulosus tentari potest. Is esse potest neurasthenicus, idque scimus factum quoddam commune esse. Is non potest eodem tempore commiscere characteres dementiae, hysterismi, vel epilepsiae cum characteribus obsessionis, quia sunt contradictorii, quod nos vidimus; sed quidam inspecti sunt casus — rari equidem — in quibus haec diversa symptomata alternis vicibus commutantur. Quoad hysterismum Janet nonnulla indicavit exempla quae characteristica videntur.

h) — *Dementia et scrupuli.* — Quaestio fit difficilior quoad dementiam, eaque meretur quod in ipsam paulum incumbamus. Nos eam sequenti modo proponere possumus (1): « Si obsessio non est dementia, nonne est initium dementiae? » ita quaerunt ipsi aegroti, quorum animum timor subit ne in amentiam incidant.

Sunt auctores qui affirmant obsessionem, psychasteniam, ineluctabili modo ad amentiam perducere, sed alii extant auctores, qui hoc penitus negant.

Et quoniam, ita Emyeu, magistri ultimum responsum reddere nesciunt, ideoque theoria interroganda est. Ex ista utique discimus id, quod constituit obsessionem, sed neque ex ipsa, neque ullo alio modo, nos scimus quid constituat amentiam. Nos amentiam discernere possumus ab aliis morbis; nos agnoscere possumus nonnullas causas aut remotissimas conditiones; at nihil cognoscimus circa ejus essentialia elementa eiusque naturam. Ergo difficile est clare et secure discernere utrum et quomodo ipsa ex obsessione produci possit.

(1) Convenit pertractare hanc quaestionem etiam sub aspectu practico, ita ut respondere valeamus continuis aegrotorum postulationibus, quae in textu referuntur.

Nihil, ut nobis quidem videtur, nos sinit in amentia inspicere actionem immediatam et normalem causarum, quae obsessionem constituunt. Inter amentes habetur tota varietas tensionis vitalis et psychicae; alii sunt ignavi, alii singulari industria, alii inertissimae segnitiei et alii summae alacritatis, alii melancholici et alii animo lentissimo praediti, alii vitam quietam otiosamque degunt, alii, sicut Nietzsche, exuberanti vita donantur, quae inexhausta videbatur.

Sed fortasse dices, si inter amentes nonnulli sunt animo timido et exuberanti dotati, nonne reperiuntur etiam ii, qui, quum magna necessitas hoc postulat, utuntur quadam tensione vitali valde debili, videlicet nonne etiam habentur, qui obsessionibus afficiuntur? Atque si obsessio non est unica via, quae ad amentiam ducit nonne et ipsa potest ad illam adducere?

Jamvero id non potest directe contingere; siquidem vidimus psychasteniam minime conducere ad organizationem quandam conscientiae firmam, stabilem circa ideam dementem, sed ad oppositum.

Verumtamen nos fatemur phaenomena dementiae consequi posse ex concursu diversarum causarum, et fortasse quaedam extant formae dementiae, ad quas obsessio, quando contra eam nullum impedimentum infertur, viam sternere lente potest, etsi indirecte. Revera ex una parte mens sana, propter continuas impressiones ideae fixae, se conficere potest, ut nostra fert opinio, usque dum evanescat, si aegrotus obstinate incumbit in inquirenda ea securitate quam consequi non potest; et tunc evanescit illa luciditas, quae obsessionem distinguit, ita ut ex eo quod dubium morbosum constituebat, quaedam exurgat certitudo; et sic producitur hyponcodria, delirium persecutionis, vel alia forma, quae ad amentiam analogiam dicit. Ex altera parte organismus et facultates mentales extenuari possunt longo tempore in illam crudelissimam debilitationem

ad quam perducuntur ab eo qui obsessionem patitur, usque dum producatur status quidam analogus ad dementiam praecocem. Uno verbo vires hominis limitibus coarctantur; et, si illis abutimur, finem habere possunt.

Sed hic finis pro eo qui obsessione corripitur proximus minime est, nam hi effectus, si existunt, rarissime verificantur, quoniam statui non potuerunt cum certitudine. Qui obessionem patitur, si fragili utitur synthesi, conscientia vero vastissima fruitur; si caementum, quo ipse suam conscientiam molitur, non coalescit, tamen materia, qua caementum constituitur, bona est; atque aedificium exstructum, etsi concutiatur, etiamsi rimas agat, non illabitur unquam.

In praxi ergo consolari et confirmare possumus scrupulosos qui timent, ne in amentiam incidant, et ex hoc ipso aliam nanciscuntur obsessionem. Isti, quum numerus factorum sit parvus et quidem incertus, plus timere non debent de hac re quam plerique homines; isti, considerantes intelligentiam et subsidia vitalia quibus adhuc fruuntur, aestimare possunt quod minimus conatus ad sanitatem consequendam, capax est impedimentum quoddam inferre, quod ipsi numquam superare poterunt.

§ 3. — De prognosi.

Ex postremis, quas hic instituimus, observationibus, jam aliquid innuimus de prognosi, idest de judicio faciendo circa decursum hujus morbi. Verum seorsim de hoc agere convenit. Re quidem vera magni est momenti instituere prognosim, quatenus ea nos sinit advertere quaenam sint media utilia pro aegroto curando. Quapropter nos lectoribus indicare debemus quaenam sint normae sequendae ad constituen-

dam prognosim in casibus psychasteniam respicientibus.

a) — *De prognosis gravitate.* — Generatim admittendum est hunc morbum esse quidem gravem. Sunt quidam qui, opponendo obsessiones dementiae, et ex hoc quod ipsae non ducunt ad dementiam intellectualem completam, repetere solent illum esse morbum mentalem benignum. Sed prorsus aliter res se habet: si cogitamus quod omnes ferme casus, nisi levis momenti sint, producuntur a mense octavo usque ad decimum secundum, quod ex tribus partibus casuum quaedam reperiuntur recidivae ordinario graviores morbo priori, quod multi casus (circiter decima pars) chronici fient, si cogitamus quod hic morbus tempore suae evolutionis non modo causat graves dolores, sed etiam fere complete arcet a vita normali subiectum illudque, si morbus protrahitur, ducit ad completam incapacitatem laboris, eique supprimit familiam relationesque sociales atque illud perducit ad vitam omnino solitariam agendam, compertum habemus ipsum utique esse morbum quendam tristem spiritus etsi conscientia integra maneat. Juvat haec annotare, non quia ea ad ipsum aegrotum referenda sint, sed ut certiores faciamus ejus parentes, si isti sint magni consilii, atque ut intento studio incumbamus in eum curandum.

b) — *De characteribus aggravantibus.* — Ut praecocior evadat diagnosis hic recognoscere juvat ea omnia elementa, quae gravius vel minus reddunt judicium nostrum.

Quidam prior character est maximi momenti; est hereditas de qua semper difficile evadit indicia praecisa referre. Si in familia existant alienati, praesertim si ex illis sint qui accedunt ad psychastenicos, vel quidam obsessionibus ejusdem generis affecti, vel melan-

cholici, vel quidam persecutione exagitati, vel paranoici, res evidenter magni est momenti. Si quidam in familia reperiantur, qui sint obsessionibus affecti, juvat morbi evolutionem in ipsis cognoscere, nam haec evolutio saepe numero modo absolute simili iteratur. In his inquirendis, prae oculis quoque habenda est hereditas nervosorum et praesertim epilepsiae. Una cum alienatis et nevrophaticis proprie dictis, magni est momenti scire utrum in familia ii existant, qui vulgo « *spiriti bizzarri* » appellantur. Isti enim saepe saepius ii, sunt qui suis descendentibus relinquunt characteres psychastenicos. Quod facile intelligitur, si quis consideret ejusmodi abnormitates jam esse characteres insufficientiae accommodationis functionum ad realitatem, et abuliae.

Post hereditatem, magni momenti est aetas, quum morbus incipit; prouti intelligitur ego loquor de initio reali morbi et non de initio apparenti, seu de tempore quum enascuntur phaenomena insufficientiae psychichae, atque sensus incompletionis.

Quo magis hoc initium est praecox, eo majoris est momenti; phaenomena, quae statim in evolutione apparent, ea magis hereditaria sunt, atque majorem partem constitutionis efformant, et hinc fit ut gravior evadat prognosis. Dubitandum ergo est de iis pueris, qui quinque annos vel sex annos nati, sunt intelligentis ingenii, magni consilii, ratiocinatores; haec qualitas mox damnosa fit quando ipsi lento et haesitanti animo donantur. Hoc initium praecox generatim mali ominis est. Excipienda sunt initia quae frequenter apparent tempore pubertatis aut superveniunt tum, quum pueri nimis crescunt; profecto ipsi ostendunt dispositionem quandam ad insufficientiam psychicham, sed sperandum est hanc insufficientiam esse in relatione cum multis dispersionibus vitalitatis, quas organismus, hoc tempore,

facere debet, eamque evanescere tum, quum verificatur completa evolutio.

Propter eandem rationem prognosticum gravius fit quum morbus protrahitur ultra ultimum periodum hujus evolutionis. Pro muliere, verbi gratia, prognosticum gravius evadit, si morbus post annum vigesimum quintum protrahitur.

Item prae oculis habendae sunt circumstantiae, quae initium determinarunt. Quemadmodum paene in omnibus morbis mentalibus, prognosticum eo est gravius, quo levioris momenti sunt circumstantiae. Initia, lenta, insidiosa, absque morbo gravi, sine magnis emotionibus, graviora sunt, quam initia rapida, quae consequuntur quendam statum contagiosum, quandam magnam perturbationem, vel emotionem quandam violentam. In his postremis casibus sperandum est fore ut agatur potius de forma accidentali acquisita ex morbo, quam de ejus forma constitutionali.

c) — *De prognosi respectu habito ad varia morbi momenta.* — Tandem considerandum est prognosticum in ordinem ad singulas formas, quas morbus assumpsit.

Ad hoc necessarium est prae oculis habere conspectum variarum formarum. Scilicet: primis momentis inveniuntur phaenomena insufficientiae, quae recipiunt non modo emotivitatem, sed omnes formas abuliae; momentis ulterioribus reperiuntur, accidentia derivationis, quae comprehendunt non solum phobias plus minusve systematizatas, sed etiam omnia *tics* et ruminationes mentales; momentis gravioribus habentur obsessiones, quae monstrant aegrotum ingredi periodum interpretationum delirantium, quamvis ejus delirium conservet characterem haesitationis et dubii, quae sunt perturbationes fundamentales morbi. Judicium circa gravitatem dependet a momento, quod nanciscitur aegrotus quem nos examini subicimus.

Quum aegrotus pervenit ad ultimum gradum et morbus est chronicus, statuere necesse est prognosticum et prae oculis habere activitatem, qua adhuc subiectum utitur, numerum relationum ei conservandarum, labores, quos illud exequi debet; postremo vita solitaria et inertia completa, sunt graviores manifestationes statuum psychastenicorum.

d) — Quid sperandum ex curis proponendis. — Ita gravitate morbi statuta, declaranda occurrit altera interrogatio, cui prognosis respondere debet. Quid est sperandum ex curis, quas inferius descripturi erimus? Infausto equidem omine medici respondet. Quod tamen facile intelligitur. Ipsi plerumque non perspiciunt nisi formas graves, eas nempe quae in aulis clinicis recipiendae sunt propterea quod gravissima exhibent symptomata, et contra quas, parum vel nihil faciendum remanet.

Attamen etiam in his casibus non est quaecumque spes deponenda. Si enim verum est quod morbus fit gravis et insanabilis, tum, quum curatio non recte et modo convenienti procedit, attamen recognoscendum est quod valetudo aegrotorum de quibus curatio opportuna adhibeatur, inclinata jam in melius mox erit.

Quod si considerentur casus, qui ordinario in sede poenitentiali contingunt, tunc dicendum est, quod curatio psychotherapica (prouti inferius descripturi erimus) quantitatem permagnam sanationum praebet.

Clarum enim est, quod ego de hac re usu cognitum habeo, et id quod experiendo didicerunt ii, quibus consilium dedi hanc curationem applicandi. Quamplures casus ad sanitatem perducuntur et complete quidem (1).

---

(1) Cfr. EMYEU, qui recte haec addit: « Alioquin nostra theoria, quae nos permittit inspicere in obsessione non tantum psychasteniam quandam aut depressionem tensionis vitalis, sed etiam defectum quendam proportionis inter tensionem psychicam

Et haec me valde consolantur; etenim vere miseratione dignum esset tam magnam aegrotorum multitudinem (scrupulosi enim et psychastenici latius communi opinionem disseminati sunt) implacabiliter tam miserae subiectam esse fortunae.

Enimvero proterea quod optabiles exitus habui, cogitavi de hoc libro scribendo. Igitur me in capitibus subsequentibus de cura adhibenda pertractantem, benignus lector sequatur.

---

adhibendam et difficultatem ad actum perficiendum, ea quoque est, quae nobis accurate explicathos diversos exitus curationis. »

Morbus cessat vel decrescit prouti cessat vel decrescit hic defectus proportionis, qui eum constituit. Sanatio ergo totalis tum possibilis evadit, quum depressio psychica est accidentalis, vel quum exaggeratio necessitatum supprimi potest. Quum necessitates sunt normales et depressio est constitutionalis, tunc defectus proportionis inter tensionem psychicam et necessitates subiecti, paene fatalis est, et solummodo sanatio relativa speranda est,ea plus minusve proxima erit, prouti possibile erit extollere tensionem vitalem et diminuere complexitatem actuum, qui debitam mensuram superant. Jamvero, semper possibile est, et quomodo mox videbimus, saltem imminuere hanc complexitatem, et tali modo, semper possumus, non solum impedire morbi evolutionem, sed aegri valetudinem in melius inclinare (Cfr. *op. cit.*, pag. 230-240).

Caput nonum.

De methodo adhibenda in directione spirituali scrupulosorum.

1. *De possibilitate curandi scrupulosos.* — Methodi variae.
2. *Curae physicae.* — Earum insufficientia. — *a*) Vita hygienica. — Ejus momentum. — *b*) Cura sedans seu sedativa. — Exponuntur controversiae. — *c*) Remedia tonica. — Eorundem utilitates et limites. — *d*) Hydrotherapia.
3. *Suggestio.* — *a*) Hypnotismus. — Impossibilitas illum applicandi. *b*) Suggestio persuasiva. — Ejus insufficientia.
4. *Psychotherapia.* — *a*) Principia generalia. — Ejus momentum et efficacia. — *b*) Directio moralis. In quo consistat.
5. *Modus instituendi directionem moralem.* — *a*) Diagnosis. — Ejus momentum. Quomodo sit facienda. — *b*) Confidentia in directore. — Ejus momentum et difficultas eam acquirendi. — *c*) Modus interrogationum instituendarum. — *d*) Auctoritas directoris. — Ejus momentum. — Quomodo acquiratur et conservetur. Competentia, confidentia, fiducia. — Bonitas ejus, qui dirigit. — *e*) Oboedientia. — Ejus natura et modus eam obtinendi. — Ejus gradus.
6. *Conclusio.*

§ 1. — De possibilitate curandi scrupulosos.

Possuntne sanari scrupuli? Et quomodo? His quaesitis satis equidem respondet moderna psychotherapia quae, etiam in hoc campo, miros prorsus obtinere potuit successus.

Profecto non hodie tantum tales obtinentur successus. Janet, aliique neuropathologi, recenter hoc ad-

miserunt. Et ipse Janet scribit: « Sacerdotes morbum scrupuli cognoverunt multo ante quam medici, ac confessio regularis inventa esse videretur a quodam *alienista* magni ingenii, qui individua obsessionibus affecta curare cupiebat » (1). Hic igitur dumtaxat reddendum est systematicum et super scientiae principia scienter fundatum id, quod reapse nostri magistri spiritus nobis tradidere.

Nunc ergo exponam normas respicientes curam methodicam scrupuli, demonstrando in primis quomodo sint insufficientes methodi physicae, quomodo ex psychotherapia quaerenda sit solutio problematum, quomodo scilicet applicatio harum curationum medicarum possit et perfici debeat a sacerdote, et tandem quomodo haec omnia respondeant regulis fundamentalibus, quas nobis magistri spiritus tradiderunt.

Verumtamen ad perficiendum studium systematicum circa curam, cui hi aegroti subiciendi sunt, singulatim examinare oportet varias methodos usque nunc adhibitas, idque ad determinandos successus per unamquamlibet ipsarum habitos, et denique ad videndum quaenam sit cura, cui subiciendi sunt nostri aegroti.

Methodi usque nunc adhibitae, sequenti modo colligi possunt:

1. *Methodi physicae;* hic locum habent, considerationes super nutritionem, super hygienem vitae, super medicinas, quarum scopus est sedare excitabilitatem systematis nervei, vel producere ejus tonificationem tum quum est depressum, et tandem vera remedia physica; breviter, opera integra medicinae internae.

2. *Methodi suggestivae*, quas inter habentur hypnosis et suggestio per persuasionem.

3. *Psychoterapia et directio moralis.*

---

(1) *Les Obsessions et la Psychasténie,* pag. 725.

§ 2. — Curae physicae.

Profecto non ex medicis curis quaerenda est sanatio hujus morbi. Sunt nonnulli qui adhuc credunt efficaciae harum curarum. E contrario ipsae semper deficiunt. Ratio ob quam deficiunt est, quia psychastenia funditus constituitur, uti vidimus, ex alterationibus mentalibus et moralibus naturae esclusive psychicae, dum phaenomena nevrophatica, quae in ipsa habentur, nil aliud sunt nisi elementa secundaria inserta in alteratione psychica primaria.

Exinde non est deducendum quod nullius momenti sint curae medicae. Longe aliter! Imo eae sunt adhibendae, et quidem abundanter, quoniam auxilium quod afferunt est singularis utilitatis, at ex illis non plus quam simplex auxilium collaterale petendum est.

a) — *Vita hygienica.* — Itaque prima cura pro scrupuloso recipienda, est reformatio suae ipsius hygienis.

Praesertim nutritio magnopere examinanda occurrit. Quidam ex his aegrotis insufficienter vescuntur; quidam e contra inordinate. Multo numeriosiores sunt priores, quia saepe saepius accidit, maxime quoad eos qui afficiuntur mania contemptus sui corporis aut phobiis relate ad alimenta, quod a cibo horrore abstineant. Psychastenici e contra forti nutritione indigent atque plures ex illis, sanitatem assequuntur, tantummodo nutritione abundanti adhibita. Oportet ergo hos aegrotantes convincere sibi necesse esse abunde cibum sumere. Praeterea in his aegrotis frequenter notantur alterationes digestionis stomachalis una cum consequentibus alterationibus. Inter quas presertim memoranda est formatio ptomainarum atque venenorum intestinalium,

quae, quum circulum sanguineum ineunt, actionem valde perniciosam determinant in systemate nerveo. Non opportunum videtur hic commorari in tradendis regulis pro sana alimentatione. Hoc ad medicum spectat, cujus directioni committendus est aegrotus noster, nam in singulis casibus judicandum est.

Singularis momenti est moderatio somnii in specie, et quietis in genere. Alii somno indulgere ac per totam diem se in lecto continere non desinerent; alii se continuo agitant, neque dormitum ire cupiunt, noctesque stantes traducunt. Utcumque psychastenici semper, individua sunt, *quae quietis regularis indigent, quia viribus deficiuntur*. In propositum Janet observat non esse incidendum in contrariam partem. Plures applicant his aegrotantibus curam, quam tradit Weir Mitchell; Déjerine (1) eos diuturnae quieti committit. Jamvero hoc magni periculi esse potest, nam hujusmodi aegroti jam per se tendunt ad abuliam, ad immobilitatem, ad sic dictam *rêverie*. Igitur permittere ut diu se in lecto contineant, atque ut occupationis penitus expertes sint, eorum tendentiae favet. Magis ergo decet, etiam longa quiete aegrotanti concessa, moderari tempus quietis in lecto capiendae, ita ut ad tempus normale accedat.

Quod interest, est exigere ut hora certa et praestituta, lecto surgant ac dormitum eant; quod maxime influit, uti inferius videbimus, in vitam psychicam, assuefaciendo ut, quis in se ipsum potestatem habeat, ut suis imperare possit cupiditatibus, ut consilium raptim inire valeat, mediante quadam exercitatione psychica relative facili.

---

(1) Etiam hic auctor, in scripto quod recenter edidit, demonstrat se admodum temperasse suas opiniones in propositum. Cfr.: Déjerine et Ganzler, *Les Manifestations fonctionelles des Psychonévroses*, p. 2ª, cap. 3.

Expedit etiam aegrotum vitam degere locis hygienicis; vitam sub divo ducere plurimum prodest (1); necesse autem est evitare quemlibet laborem exhaurientem; curare quamlibet aegritudinem localem. Verum nonnulli medici in hoc, modum excedunt. Ipsi opinantur psychasteniam dependere, v. g., ex uno rene mobili, ex quadam affectione intestinali, etc., et proinde eorum conatus hac in re versantur. Incassum vero! Satis equidem est aegrotum cum simplicitate (2) tractare, ita ut eum reducere possimus ad vitam hygienicam degendam.

b) — *Cura sedans seu sedativa.* — Si, prouti dixi, medicinae in hoc morbo curando parvi momenti sunt, nihilominus in contrarium haud discedendum est, neque absolute sunt excludendae negatione quadam, quae aliquando in more est apud medicos. Medicamenta quae hic majoris sunt momenti sunt: 1) ea quae exercent actionem sedativam, seu ea quae destinata sunt ad pacandam excitationem generalem excessivam, cujus causa sunt phaenomena derivativa; 2) ea quae exercent actionem tonicam, seu ea quae destinata sunt ad reddendam activitatem normalem integro organismo, et praesertim systemati nerveo depresso.

Nunc consideramus dumtaxat primam classem.

Nonnulli aegroti eo excitationis, se manifestantis etiam per actus incoordinatos, perveniunt, ut quodlibet

---

(1) Haec vitae degendae ratio non solum prodest actioni physicae, sed etiam, et forte potius actioni psychicae, quia interrumpuntur mentis postulationes, *rêverie*, etc., et quia individuum obligat, singulis momentis, ad sibi imperandum, ad consilium capiendum, etc. Hic quoque habetur quaedam vera exercitatio psychica.

(2) *Cum simplicitate*, inquam. Videbimus infra totam curam in eo sitam esse ut nempe diminuantur difficultates vitae. Medicus qui subicit aegrotos multis curis, multisque cautionibus, nihil aliud efficit nisi ut augeat vitae difficultates, novamque imprudenter praebeat ansam haesitationibus psychastenici.

remedium morale fiat omnino impossibile. Hanc ob rem necessarium est iis uti medicinis, quae inserviunt ad obtinendam actionem sedativam. Janet, qui maxima auctoritate valet in hac re, refert se in his casibus subministrasse — et quidem contra opinionem omnium — bromurum; et hoc fecit, quia ipse retinet quandam existere analogiam inter psychastenicum et epilecticum; effectus satis boni fuere (1). Quamvis non consentiam cum Janet circa hypotheticam et dubiam analogiam inter psychasteniam et epylepsiam, nihilominus pro certo habeo reapse bromurum bonos exitus habere in hoc statu excitationis; salvo tamen recursu, et quidem cum bonis fructibus, etiam in aliis morbi periodis, ad alia remedia sedativa (2).

c) — *De remediis tonicis.* — Qui ad memoriam revocet doctrinas expositas circa psychasteniam, oblivisci non potest hanc excitationem esse apparentem et dumtaxat manifestationem secundariam cujusdam insufficientiae systematis nervei, quod non potest pervenire ad tensionem normalem. Propterea cura medica psychasteniae sibi proponere debet meliorem facere activitatem systematis nervei.

Hic locum habent illae normae hygienicae quas nuper recensuimus; sed istae quoque longe absunt ut sint sufficientes; siquidem ipsae perturbationes, quas regimen hygienicum impugnare sibi proposuit determinatae sunt a conditionibus malis systematis nervei, adeo ut nos quodam circulo vitioso occludamur. Igitur necesse est illis uti substantiis, quae valeant restituere activitatem normalem systemati nervoso. Verumtamen, etsi magnus sit numerus harum substantiarum, quas

(1) *Op. cit.*, p. 712.

(2) Hisce ultimis temporibus bono cum exitu usus sum *adalina* (Bayer).

pharmacotherapia nobis offert, nihilo secius dici potest nullam nos possidere, quae alicujus realis valoris sit. Hic locum habent glycerophosphata, lecithinae, bioplastinae, nec non numerosa series substantiarum ad hunc finem inventarum. Sed quum mihi in animo non sit hic tractare quaestionem sub aspectu medico, hoc innuisse sufficiat. Ad medicum, cui se scrupulosus commiserit, seligere pertinebit inter magnam varietatem tonicorum systematis nervei.

d) — Hydrotherapia. — Hic bonam obtinent applicationem remedia hydrotherapica; proderit ergo, quum agitur de quiete obtinenda, uti balneis, et balneis pensilibus (*doccie*) aquae tepidae; dum e contra, quum excitatio sedata est, necessarium erit uti balneis pensilibus, balneis et lotionibus aquae frigidae.

His applicationibus frigidis gradatim adhibitis, excitantur reflexus vasodilatori et cutanei, qui eveniunt momento primae contractionis vasocapillaris cutaneae. Assuefaciendo aegrotum ad hanc reactionem ac in ipso excitando hunc reflexum, eo venimus ut assuefaciamus nerveum systema ad reactiones vivaces, quae in quadam generali tonificatione resolvuntur.

Conclusio, quae colligenda est ex hac brevi recensione circa therapiam physicam et eam quae ex medicina derivat in curandis crupulosis, est, quod ipsa est tantum levamentum quoddam phaenomenorum derivatorum, ideoque consideranda est tamquam therapia coadiuvans.

Ipsa deficit, si quis ea utatur spem habens valetudinis recuparandae; habet bonos eventus, si quis ex ipsa quaerat dumtaxat sedationem phaenomenorum secundariorum.

§ 3. — Suggestio.

a) — De hypnotismo. — Plures neurologi sponte quaerunt utrum hic sit casus in quo, uti possimus hypnotismo.

Controversiae de valore hujus remedii praemittenda esset disceptatio de multitudine quaestionum, quae propter applicationem hujus remedii existit. Verum, quoniam etiam ex hypnotismo parum quidem sperandum est, inde satis erit considerare quaestionem particularem, quatenus ad nostrum casum refertur.

Primo aspectu videreretur suggestio, et principaliter suggestio hypnotica, bonos habere effectus. Et reapse videretur quod suggestio, quae agit subiecto ideas imponendo et alias supprimendo, efficax esse deberet in nostro casu permittendo ut ex subiecto auferatur idea obsidens et in ejus locum substituatur quidam constans complexus idearum accurate selectarum. Nonne quidem consistit praecipuum phaenomenon, quo aegroti nostri afficiuntur, in idea quadam absurda, quae pertinaciter in eorum vita mentali figitur?

Plures studiosi tuiti sunt utilitatem applicandi hypnotismus his aegrotantibus. Mentionem facimus de Ladame (1), Berillon (2), Mavroukakis (3), Tissié (4), Milne Bramwel (5), Faure (6), Bechtherew etc.; ipsique Janet (7) et Sollier (8) qui sunt contra ejus applicationem, ve-

---

(1) *Revue de l'hypnotisme,* 1890, II, 385; ibid., 1888, p. 127.
(2) *Société de médecine et chirurgie pratique*, 1899.
(3) *Société d'hypnologie,* 1899.
(4) *Semaine médicale,* 1899, pag. 277.
(5) *Revue de l'hypnotisme*, 1893, pag. 59.
(6) *Obozréniê Psychiatry,* feb. 1899.
(7) *Op. cit.*, pag. 271 et sq.
(8) *Le doute*, pag. 375 et sq.

niunt ad admittendum quod, *in aliquo casu*, boni habiti sint effectus (1).

Haec opinio magnam nanciscitur difficultatem, quam sane bene indicarunt Pitres et Régis (2); hoc est quod scrupulosi hypnotizari non possunt. « Plures annos, ipsi aiunt, multa in propositum periclitati sumus, et dicere possumus quod, exceptis quibusdam casibus obsessionis, qui debebantur cuivis gradui hysterismi, numquam venimus ad suggestionem perficiendam in his aegrotis, adhibitis quoque processibus coadiuvantibus ». Et unus ex his auctoribus, nempe Régis, jam scripserat: « Jam nunc omnes fatentur quod tantummodo hysterici alienati possunt hypnotizari, et hoc quia eodem tempore quo sunt alienati, sunt etiam hysterici » (3).

Et Janet addit (4): « Nihil aliud ego possum nisi plane approbare hanc propositionem, prouti me experientia docet.... ; nulla opinione praeiudicata ductus, ac sincera cupiditate incensus inveniendi, mediante hac methodo, processum quendam therapeuticum, conatus sum ut in meis aegrotis obtinere possem somnum hypnoticum et suggestionem, sicuti in hystericis. Sed exitus maxime permediocris fuit, atque affirmare possum, colligendo conclusionem ex longis inquisitionibus, quod qui affecti sunt obsessione, sed non hysteria, neque hypnosis neque suggestionis recipiendae capaces sunt ».

Facile autem est ostendere, propter quamnam rationem impossibile sit hypnotizare psychastenicos. In hysterico suggestio hypnotica est possibilis quia integritas ejus personalitatis abrumpitur, ita ut habean-

---

(1) Attamen Janet admittit quod tunc somnus hypnoticus neque realis neque completus erat ac quod, dum sessiones hypnoticae habebantur, debuit verificari aliquod phaenomenon a suggestione diversum, cui tribuendi sunt effectus habiti.

(2) *Op. cit.*, pag. 101.

(3) *Revue de l'hypnotisme*, 1896, pag. 328.

(4) *Op. cit.*, pag. 722.

tur, duplicitas personalitatis, amnesiae, restrictiones relate ad conscientiam, actus subcoscientes. E contra, in psychastenico ejusmodi phaenomena omnino deficiunt; psychastenicus fines conscientiae nimis extensos habet, ut idea, per hypnosim suggesta, penitus evolvi possit. Ejus personalitas, quantumcumque perturbata, quantumcumque immutata, adhuc suam integritatem unitivam conservavit; non adest possibilitas duplicandi conscientiam. Idcirco psychastenicus sic resistit hypnosi vel suggestioni, quemadmodum, uti vidimus, resistit hallucinationibus adeo ut nequaquam possibile sit ut is hallucinationem recipiat.

Insuper alia remanet observatio, quae praetermittenda non est. Scribit Emyeu (1) quod si possibile esset suggestionem in psychastenicos exercere, ea nihilominus remaneret inefficax. Idea obsidens est id, quod morbus gignit, « flos ut ita dicam, non radix morbi, adeo ut, si per medium suggestionis, possibile esset vincere ideam obsidentem, statim radix novos pareret flores ». Aliquid usque extaret quod aegroto maxime cordi esset, et cujus causâ ejus impotentia verificaretur. Locum, quem ideae obsidentes religiosae vel morales tenent, mox aliae ideae occuparent.

Praeterea recordandum est quomodo suggestio, si ea uti possibile esset, determinaret diminutionem quandam illius vis, quae proprie in his aegrotantibus redintegranda esset. Et revera ex studiis circa suggestionem, demonstratum est, quod ipsa, sive exerceatur tempore vigiliae, sive exerceatur tempore somnii, nullum obtinet effectum nisi cum damno vis voluntatis, unificationis conscientiae, concentrationis personalitatis. Hujusmodi effectus in nostris aegrotis magnae esset calamitatis. Quod sane perspexit Grasset (2), vir scientia clinica

(1) *Op. cit.*, pag. 915.

(2) *Thérapeutique des maladies du système nerveux*, p. 112.

praestantissimus, qui advertit quod hypnosis veniret ad debilitanda centra psychica superiora; et ipse Raymond (1) ea uti dissuadet, quoniam experimenta hypnotica semper damnum his aegrotantibus afferunt, firmiores faciendo tendentias ad abuliam et ad alterationes personalitatis.

Exinde sequitur suggestionem esse rejecendam (2), non solum quia est inefficax (3) et impossibilis, sed etiam quia damnum importat.

b) — De suggestione persuasiva. — Appendicis hujus paragraphi ad instar pauca dicenda sunt de persuasione.

Potestne persuasio ad sanitatem perducere hunc morbum? Id quod obtineri nequit per suggestionem proprie dictam, potestne obtineri per hanc suggestionem indirectam, quae habetur per persuasionem?

---

(1) *Névroses et Psychonévroses,* pag. 115.

(2) Quomodo igitur explicandi sunt casus, in quibus boni habiti sunt effectus? Sine dubio erratum est in facienda diagnosi (v. g. curata sunt symptomata hysterica) vel aliud intellectum est nomine hypnotismi. Praesertim tempore transacto, confuse adhibebatur nomen hypnotismi et suggestionis ad indicanda phaenomena psychica, quae nihil ad ea pertinebant.

(3) Emyeu observationem moralem instituit, quam praetermittere non possumus. Idea obsidens constituitur ex duplici principio, quorum unus est ordinis generalis, alter facti. Jamvero per suggestionem quid esset supprimendum?

Prouti vidimus, si supprimeretur dubium actuale (« sed ego ita facio, sed ego omisi illam actionem, sed ego sufficienter non oro, sed ego blasphemo, etc. ») statim alia dubia occuparent locum dubii suppressi. Quare nihil aliud remaneret nisi supprimamus principium ordinis generalis (hoc est faciendum, illud non est faciendum, etc.). Sed hoc principium est bonum et rationale, et nefas esset illud supprimere, perinde esset ac si scrupulosum vetaremus factum quoddam vitae religiosae et quemcumque actum religiosum facere. Sanatio esset apparens, et prohibitio illius principii esset injusta et immoralis. Cfr.: EMYEU, *op. cit.*, p. 215, 218.

Experientia quidem docet, quod ratiocinationes, quas conferre possumus cum quodam psychastenico, majoris momenti non sunt quam eae, quas facere potest *scrupulosus ipse* (1). Ipse idem percellitur conatu, quem experiuntur ii, qui ei persuadere nituntur de irrationabilitate suorum dubiorum, et verba hujus generis profert: « Te recte dicere scio, me alloquebatur unus ex his aegrotis, sed non possum adduci, ut credam ». « Mihi persuasum est de irrationabilitate meorum dubiorum, alter aiebat, sed ad desperationem adducor, quia velle non possum ».

Quapropter ratiocinatio restat inefficax et, quum diu collocutus fueris cum quodam scrupuloso, et cogitaveris eum persuasum habere, is adhuc quieto animo de suis dubiis iterum locutus erit, tamquam si hihil ei dixeris. Ejus activitas ratiocinandi non agit, quoniam est solitaria; voluntas est debilis; tensio est insufficiens. Psychastenicus velle nescit, quod velle debet. Unde therapia praescindere debet a ratiociniis.

§ 4. — Psychotherapia.

a) — Principia generalia. — Quaenam methodus adhibenda?

Sane scribit Emyeu (2): « Manifestatio quaedam magni momenti sub aspectu therapeutico, sponte enascitur ex aegrotantium observatione. Ipsi observarunt, quod phaenomena, quibus corripiuntur, aut evanescunt aut

(1) Scribit Emyeu (*op. cit.*, pag. 217): « Difficile est scrupuloso persuadere, perinde ac sceptico. Uterque intelligunt rationes, quae ipsis offeruntur, necnon nexum et ordinem dedutionum, sed, quemadmodum scepticus non potest credere initio, ita psychastenicus fini sermonis credere nequit. Is rationes singulatim refellit, sed animo caret ut subito eas amplectatur et sic concludere possit ».

(2) *Op. cit.*, p. 722.

saltem attenuantur statim ac se alicui committant, accipiendo vel melius quaerendo quandam directionem moralem. Sub directionis influxu aegrotus desinit exhibere haesitationes interrogationes indefinitas, nam responsum sufficiens a suo directore recipit. Jamvero rationalis therapeutica sequi debet manifestationes traditas ex casibus, in quibus aegrotus hoc modo naturaliter adeptus est sanitatem ».

Facile equidem est observare quomodo methodus adhibenda imponitur, ut ita dicam, ab ipsa natura morbi. Idea obsidens enascitur propter impotentiam aegroti ad constituendam suam conscientiam, ad se accommodandum praesentibus circumstantiis, ad consilium capiendum, ad fidem praestandam, ad se determinandum, ad agendum.

Ei scilicet deest fulcrum ad quod se applicet, ut agere possit. Atqui, hoc concesso, necessarium est ad eum sanandum, ei tale fulcrum praebere, eumque adiuvare ad perficiendam paullatim synthesim suae personalitatis, ad arripiendam realitatem, ad augendam suam essentiam vitalem, relatione habita ad praesentes necessitates. Paucis verbis, necesse est operam dare, ut ei denuo impertiatur educatio psychica, ac ut ipse manu ducatur ad recuperandam, coram realitate, illam tensionem psychicam, illam functionem realitatis, quae necessaria est (1). Ergo cooperatio duarum personarum requiritur, seu aegroti et ejus, qui eundem dirigat, nempe requiritur *directio moralis.*

Et perfecta sanatio exclusive posita est in quadam directione morali, quod revera est id, quod moderna psychotherapia docet.

Therapia, nonnullos annos, notabili transformationi subjicitur. Ipsa ex symptomatica, magis ac magis fit

---

(1) In capite quinto et sexto (Cfr. *Conclusiones*) pag. 212 et seq. demonstravi essentiam morbi positam esse in insufficientia functionis realitatis.

pathogenetica. Rem explico. Medicus non amplius animum intendit ad extenuandum hoc vel illud symptoma, sed directe prospicit causas morbi, quas studia recentiora demonstrare permiserunt. Proinde intelligitur, quomodo pro curandis morbis psychicis magis magisque excludantur medicinae, et quomodo studiosorum praestantissimi operam quidem dent adeo ut omnia ea remedia, quorum efficacia pure limitatur ad curanda phaenomena organica, quae in morbo veluti secundaria consideranda sunt, applicentur tamquam remedia simpliciter coadiuvantia, atque ut cura requisita sit pathogenetica, seu psychica, propterea quod psychica est causa hujus morbi. Therapeutica ex medicamentis collecta, recenter scribebat Déjerine (1) « vixit, et nobis videtur, sine ambagibus et limitibus, ita ut jure eam condemnare possimus » (2). Morbo psychico applicanda est cura psychica. Atque in hoc si non omnes, saltem plerique neurologi concordant. Discrepantia tum incipit, quum agitur de stabilienda cura psychotherapica applicanda.

Hic longe exponere non possum quaestionem de natura psychotherapiae, de ejus variis methodis, de utilitatibus, quas offert, de obiectionibus, quas gignit. Quis cupiat hoc perficere studium, conferat operas eorum qui ex professo huic studuere quaestioni (3).

Hic mihi modica disserenda sunt exclusive circa curam nostrorum aegrotantium.

Videamus quinam sit processus cum his adhibendus.

---

(1) *Les Psychonévroses. Leur traitement,* etc., pag. 396.

(2) Profecto haec verba respiciunt exclusive morbos psychicos.

(3) Cfr.: opera Dubois et praesertim, *Les Psychonévroses et leur traitement moral,* Paris 1907; opera cit.: Déjerine; et Lévy. *L'educazione razionale della volontà e il suo impiego nella cura delle malattie,* Palermo 1911. Insuper cfr.: Isserlin, *Bewegungen und Fortschritte in der Psychotheraphie. Ergebnisse der Neurologie und Psychiatrie,* 1911.

b) — *Directio moralis.* — Hic, nullus exterior apparatus requiritur prouti evenit in psychoterapia per suggestionem et per hypnosim. « Aptitudo ad colloquia, ad sermones familiares, ad liberalitatem in disserendo, aliquid consilii et humanitatis in eo qui dirigit, multa fiducia in aegrotante, scribit Berhneim in quodam opere recentissimo et magni momenti, quod agitur de effectibus psychoterapiae, en instrumenta psychotherapiae ». Ipsa consistit in explicandis aegroto rationibus accuratis sui status, et diversarum manifestationum, quas ipse exhibet. Ipsa profecto ea est, et quidem essentialiter, quae excitat elementa varia ejus personalitatis, quae facta est initium illius conatus, qui ei restituet dominium sui ipsius. Aegrotanti necesse est, sua ipsius ratiocinatione, integrare praecisam comprehensionem phaenomenorum, quibus afficitur. Elementa generalia, quae quodammodo redintegrare possunt ejus personalitatem, aegrotanti necesse est eripere ex intimo suo animo. Est autem officium ejus, qui morbum curat, commonere, excitare attentionem, dirigere, sed prorsus nihil suggestionem provocare. Atque aegrotus excipere debet, mediante ratione, quamlibet ideam emissam ab eo, qui eum curat. Quando autem hic aegrotanti demonstat quibusnam erroribus captus sit, quinam sint errores sui characteris, sui status moralis, suae ratiocinationis, quaenam sint elementa, quae suum morbum respiciunt, per hoc, qui curat, mediante psychotherapia, non intendit sententias aegroto imponere, veluti quendam articulum fidei, sed conatum exquirere debet, ut ipse cogitare et comprehendere possit. Hoc modo methodi psychotherapiae potius quam restringant personalitatem humanam (prouti contingit iu methodis per suggestionem et hypnosim) ex adverso permittunt personalitati ut sese evolvat, ab ea arcendo omnes actiones reprimentes, quae constituere potuerunt sive malam hygienem moralem, sive aptitudines physicas aut psy-

chicas vitiosas. Atque, si, prouti ordinario accidit, aegrotus sanitatem consequitur, ipse sibi videri debet se per seipsum sanitatem consequutum esse; et sic augetur fiducia quam aegrotus sanatus in seipso habet, atque evitatur periculum, quod aegrotus in eundem morbum recidat.

Non ideo tamem putandum est quod hujusmodi cura sit omnino nova. Haec moralis diagnosis quae hodie proponitur tamquam « methodus curae adhibendae » eadem quidem est ac ea, qua olim utebantur directores animarum.

Ejus certitudo quoad scrupulosos majoris momenti est quam cui insistere omittam et praesertim verbis utens clarissimi Janet, cujus auctoritas magni ponderis est (1). « In curando psychastenico, ipse scribit, necesse est ei offerre directionem quodammodo professionalem, ac transformare in artem quandam acceptatam cum plena cognitione causae, directionem, quae olim impertiebatur inconsulto ab iis, qui, omissis scientiae investigationibus, hujusmodi studia, sine preparatione scientifica, exercebant. Haec ars singularis in primis sponte exercitata fuit a sacerdotibus diversarum religionum. Sacerdotes cognoverunt morbum scrupulosorum ante quam medici, et confessio regularis inventa esse videtur ab alienista magni ingenii, qui curare psychastenicos cupiebat ». Et Janet locos scriptorum asceticorum citat ad confirmandum id quod dicit.

Ad nos quod attinet psychotherapia nihil aliud efficit, nisi quod jam multo ante scribebat Fénelon (2): « Conscientiae scrupulosae compelli debent ultra suos limites tamquam equi retractantes et pavidi. Quo magis quis haesitat de suis scrupulis, eo magis isti se-

(1) *Op. cit.*, pag. 725-726.
(2) *Oeuvres*, pag. 218.

creto aluntur; ut eos ad sanitatem adducere possimus, necesse est eos gubernare ».

Idcirco directio moralis in psychotherapia scrupulosi exclusive finem habet praebere psychastenico directionem quandam systematicam methodicam, quae facere jubeat, quaeque, postquam fuit ab aegroto recepta, eum imperiose ducat ad finem consequendum. Paucis verbis, agitur de manu ducendo aliquem, qui caecus est in vita morali.

Quomodo instituitur haec moralis directio? ad quem finem tendit? quibus mediis utitur?

§ 5. — De modo instituendi directionem moralem.

a) — *Diagnosis.* — Antequam his interrogationibus respondeamus, determinandae sunt nonnullae conditiones, quae penitus observari debent, ut efficax hujusmodi cura evadat. Hae conditiones respiciunt directorem, eum qui dirigitur, et modum interrogandi atque examinandi scrupulosum. Praeterire non possum, quin de his rebus insistam.

Ratio propter quam multi sacerdotes non valent curare et sanare scrupulosos sibi commissos, plerumque — hoc enim experiendo didici — in hoc posita est, quod nempe neglexerunt normas, quas expositurus sum (1). Acriter insto ut lector suum animum ad haec attendat. Omnes psychotherapiae cultores demonstrant, quod effectus istarum curarum est, ut ita dicam, personalis, qui penitus dependet ab auctoritate quam, qui curam exercet, acquisivit in aegrotum, atque, quod hujusmodi auctoritas obtineri potest, sine ulla dubitatione, solummodo, quum attente et rigorose utimur iis normis, quas scientia jam nunc sibi in hac re constituit.

---

(1) Hac in re aliud non exponam nisi ea quae ex experientia, hisce postremis annis, opportuniora didici.

Ante omnia curandum est, ut rapide et secure exprimatur diagnosis. Jamvero omnia, ex parte aegroti, concurrunt ad impediendam diagnosim precocem. Aegrotus quam serissime attendit ad se curandum, diu renuit credere existere morbum quendam mentalem. Solum, cum compellitur ex quadam magna necessitate atque cum incapax fit cujusvis occupationis, ipse amplius non dormit, et continuo se agitat, et totam diem ruminat, et totam diem formulas deprecationis pronuntiat, tunc solum decernit uti consilio medici vel confessarii. Exinde fit, quod aegrotus se ad medicum vel confessarium conferat affectum quodam statu animi particulari, de cujus fide dubitandum est, quique in errorem inducere potest. Certum nesciens, quia de omnibus rebus dubitat, eo animo est ut credat se aegrotum non esse, vel saltem se non esse affectum quodam morbo communi. Is profecto sentit suum statum non esse normalem, sed putat se unum esse affectum quodam statu extraordinario et singularissimo. Quoniam is nullum conatum peragere contendit ad sanitatem consequendam; quin imo quoniam, prouti vidimus, tenacissime adhaeret principio generali, ex quo ejus idea obsidens dependet, ideo is cogitat, suum statum sanari non posse, et nihil faciendum esse. Quod is, primis verbis dicit: « Si medicum adit hoc dependet ex ejus familia, quae eum impulit ad medicum consulendum; sed is tantum annuit, ne iurgia excitaret, quoniam is persuasum habet omnia inutilia esse, et medicinam nihil habere, quod suum statum respiciat ». — « Si confessarium adit, sensusque suos ei aperit, hoc est quia aliquis amicus eum praeparavit, sed is certum habet verba confessarii nihil facere posse; tanto magis quia nihil valeret eum adducere, ut aliquid ageret, quod, esset contra ea quae cogitat ». Si medicus confessariusve haesitant, atque his verbis incauti opprimuntur et, quod est peius, si mirari videantur de nimiis miris symptomatibus, quae subiec-

tum pluribus verbis exponit, quaeque multiplicat, suoque arbitrio exaggerat, tunc subiectum sua animi judicia auget, et conditiones medici ac confessarii difficiliores fiunt. Ex adverso interest, quod ipsi rapide diagnosim peragant, quoniam coram aegroto se gerere debent quodam particulari modo, quem infra exponam. Quaelibet haesitatio esse posset perniciosa. Magna securitate uti necesse est, ita ut in mente aegroti penitus haereat suum morbum esse perfecte cognitum, ejusque curam quam communissimam esse.

Officium medici et confessarii facile quidem redditur ex descriptionibus, quas exposuimus in capitibus praecedentibus; siquidem hae permittunt cognoscere, primis verbis, de quonam morbo agatur, tanto magis, quia hujusmodi aegroti exhibent quasi quendam unum aspectum characteristicum formae et etiam significationis. Ita ut potius est necessarium symptoma praesagire quam de his mirari. Ubi primum aegrotus aliquantum suum statum explicavit, illico perspicitur in quanam categoria sit ponendum ejus morbum.

b) — De confidentia in directore. — Ex primis verbis habitis inter scrupulosum et directorem multoties dependet exitus curae, nam ex ipsis dependet si director possit excitare confidentiam in scrupuloso. Si ex primis verbis aliquis consensus non provenerit, frustra cetera omnia experientur. Exitus semper erit aut nullus aut mediocris.

Attamen non est putandum prorsus arduum esse possidere posse confidentiam alicuis scrupulosi. Generatim scrupulosus, sicuti quilibet nevrophaticus in genere, est extreme pronus ad recipiendam offensionem, et propriam confidentiam recusat ei, qui eam consequi nescivit, sed etiam teneriore animo est erga eos qui, eum bene tractant, atque pronus est ad se committendum iis, quibus cordi est sua conditio.

Ex altera parte observat Emyeu (1) quod hujusmodi aegrotantes necessitatem confidentiae sentiunt, et eorum maximum gaudium est, se plene alicui committere. Incapaces ad vivendum, ipsi sentiunt necessitatem alicui fidendi, qui eos intelligat misericordiaque eorum commotus sit.

Praeter hanc conditionem, vi cujus facile est eorum obtinere confidentiam, aliae habentur conditiones, quae ex contrario huic confidentiae consequendae difficultatem afferunt. Exemplo utamur. Evidens est quod scrupuli enasci etiam possunt propter confidentiam erga directorem habendam. Scrupulosi quandoque timent ne peccatum faciant se alicui patefaciendo. Idque praesertim propter quandam rationem quae facile percipitur. Scrupulosi timent ne detrimentum inferant principio, in cujus fundamento nititur eorum scrupulus, eorum idea obsidens: « Hoc est faciendum », « Hoc non est faciendum ». Ipsi timent ne director aliquid imperet, quod huic principio obstet, quod constituit fundamentum logicum eorum obsessionis, et parati essent ad cedendum in hac re. Quantumcumque vero magnae sint hae difficultates, et quantumcumque multiplicentur, tamen eorum confidentiam obtinere non affert difficultatem ei, qui eam acquirere sciat. Quod utique difficile est, at disci potest nonnullis normis obtemperando.

c) — De interrogationibus faciendis. — In primis hujusmodi normae respiciunt modum quo, interrogandus est scrupulosus. Prima regula est, quod patientia et tempore utamur. Qui non habet quo modo per patientiam et tempus sibi conciliet fiduciam scrupulosi, nihil ab ipso obtinere potuerit. Scire necesse est eum audire, et ab initio magis scire opus est auscultare

(1) *Op. cit.*, 722.

quam loqui. Scrupulosus est « verbosus ». Videamur necesse est nos nihil animadvertisse. Imo necesse est cum sequi omnia otiose describentem, nullum impantientiae signum ostendendo, quin immo ita se gerendo ut videamur nobis diligenti curae habere suum statum. Quinimo observandum est non omnia esse otiosa et inutilia. Necesse ergo est aegroto facultatem facere dicendi omnia quae dicere debet. Ex quo quidem etiam id assequemur, ut suos sensus multo plenius aperiat quam si eum nimis festinanter dimittere vellemus, eumque cogeremus uti brevitate sermonis, cujus incapax est. Et non solum necessarium est ei facultatem dicendi dare, sed etiam eum audire opus est. Necessarium est si opus sit, notare omnes ideas, quas aegrotus habere potest circa naturam sui morbi. Hujusmodi notationes magnam afferunt utilitatem ; ipsae praesto erunt ut aegroto serius demonstrare possimus quasnam contradictiones nactus sit, atque nemo cogitatione fingit quanti momenti et ponderis sit argumentum, quod initium capit ex illis verbis: « Sed tu illa die mihi dixisti.... ».

Praesertim, dum hoc examen peragitur, cavendum est a disputationibus cum aegroto faciendis; quaelibet disputatio, antequam ejus status cognoscatur, multis plena periculis esse posset.

Praeterea qui interrogat curae sibi habeat ponderare verba, quae profert. Scrupulosus generatim bona memoria tenet ea omnia, quae suam valetudinem suasque obsessiones respiciunt, et, reminiscendo verba confessarii, facillime vel minimam caperet contradictionem sive apparentem sive realem, in quam confessarius incideret. Atque una tantum contradictio sufficiens est ut scrupulosus confidentiam erga suum confesarium amittat.

Plerumque aegrotans se ad confessarium confert, postquam alios confessarios medicosque adierit; ideo-

que in sua narratione, sui ipsius aliorumque judicia promiscua habet. Convenit ei permittere ut omnia narret. Cavendum est ne subiectum iterum revertatur dicens: « oblitus sum ». Hoc videri potest nullius rei esse, at vero quidem maximi momenti est. Ipse, verbis, sibi soli ascribet hujusmodi oblivionem, sed, re et intus, is cogitabit vos eum male examinasse, nec ejus animi statum assequi potuisse.

Aliquam autem difficultatem subito nanciscimur in his faciendis interrogationibus. Scrupulosi, quemadmodum psychastenici omnes, maxime exoptant se esse sinceros, sed etiam magnam habent difficultatem ad suos sensus aperiendos.

Idcirco ipsi verba confusa eloquuntur. Aegrotus quidam apud Emyeu (1) aiebat: « Cogito rem esse difficilem explicare meos scrupulos; sed saltem esse volo homo apertae voluntatis; in optatis mihi est ut tu me penitus cognoscas ». Et ferme omnes eandem affirmationem repetunt; omnes esse volunt sinceri, pleneque sensus animae patefacere. Sed exinde quidem habetur difficultas. Quid faciendum ut alii cognoscere valeant id, quod ipsi iidem tam male cognoscunt? Quid faciendum ut bonam et claram confessionem instituere valeant, dum ipsi continua cogitatione vexantur se male dixisse, non satis sinceros fuisse, semper se aliquid omisisse ...? Ad has difficultates impediendas unica via est scrupulosum interrogare, postquam se suis descriptionibus implicuit; quae interrogationes esse debent magna cum habilitate praeordinatae et systematice dispositae ita ut, illis ad finem adductis, dicere possimus scrupuloso: « En, tu vides, morbus, quo afficeris, est scrupulus ».

Quomodo procedendum est in his faciendis interrogationibus?

---

(1) *Op. cit.*, pag. 222.

Modus praeferendus est, subiectum interrumpere, postquam diu locutum fuerit, tempore opportuno, mediante aliqua interrogatione praecisa et bene determinata. « Nonne tu hac perturbatione laboras? Nonne ea se ostendit cum istis et illis symptomatibus? Nonne ea te deprehendit in istis vel illis circumstantiis? ». Aegrotus miratur quod, nos jam cognitum habeamus ejus morbum, et quidem prorsus id quod est occultius, id quod neque sibi ipsi confiteri vellet. Hujusmodi interrogationes gradatim factae, magis aegroto persuasionem afferunt nobis cordi esse ejus conditionem eamque a nobis cognosci. Et ipsi, contenti quod aliquem invenerint, cui cordi sunt, quique eis non irridet, fidenti animo se illi committunt. Tunc tempus est eos accurate et ordinatim interrogare.

Interrogationes faciendae sunt, prae oculis habentes prospectum morbi, prouti nos eum exposuimus. (Cfr. Caput 8, pag. 237 et seq.: *De Diagnosi*) Variis symptomatibus recollectis, aegroto fieri debent interrogationes valde clarae, hanc conditionem ei proponendo ut, aut affirmative aut negative respondeat, adeo ut ei opus non sit iterum narrationem repetere. Ratio est quia in hac secunda parte examinis aegrotantis, non amplius sunt sequendae ejus digressiones; sed ex adverso is sequi debet, qui eum interrogat.

Scrupulosus, dum hujusmodi interrogationes fiunt, perspicit confessarium lente quidem procedere, sed secure, et penitus pervenire in cognitionem morbi, quo ipse afficitur. Id ei sollicitudinem affert, is terrore percutitur, variis phaenomenis emotionis physicae (rubore, agitatione, etc.) afficitur, se agitat, respiratio fit curta, et etiam anxia, responsiones brevissimae, aridae. Tunc dulcissime eum tractare oportet ut ipsi videamur nos ejus misereri ac prompto animo nos esse ad ei auxilium ferendum; sed cavendum est ne cedamus conatibus, quos scrupulosus capit ad occludendam suam

ipsius conscientiam. Ea dulcedo verborum requiritur, quae animos ad benevolentiam allicit; at ea firmitas adhibenda est, quae requiritur pro examine instituendo de statu animi aegroti nostri.

Hoc modo cognoscere possumus vitam aegroti. Omnesque et singuli hujusce vitae eventus, occultissimi etiam, cognoscendi sunt. Dum animum attendimus ad ejus voluntatem, ad ejus actiones atque ideas, acquiramus necesse est notionem quandam completam et constantem de ejus statu mentali et morali. Sciendum est utrum scrupulosus sit ad sensum aut ad affectionem aut ad indifferentiam pronus. Ardetne is sui ipsius amore? Estne superbus? Estne profunda ejus relligiosa fides? Estne vir eruditi et intelligentis ingenii?

Itaque gradatim indole subiecti examinata, secure ei dicere possumus: « Tua perturbatio derivat ex tali re.... ». Quod si vir est intelligentis ingenii, summatim demonstrare ei possumus quod interpretatio symptomatum ab ipso data non est exacta, atque possibile erit jam nunc aliquid dicere circa naturam ejus perturbationis. Deinceps adiungere possumus: « Vides ergo verum non esse quod tu exprimere haud valeas id quod sentis; tu dixisti ea omnia, quae tibi sollicitudinem afferunt, et ego sufficienter comprehendere scivi tuum statum » (1).

d) — *De auctoritate directoris.* — Ejusmodi interrogationes animum aegrotantis componunt ad id excipiendum, quod constituit fundamentum tractationis

(1) Ad rem sane scribit Emyeu *(op. cit., pag. 274)*: « Proderit, si aegrotus mente praeditus est et si id fieri potest quin nimium eum defatigemus, ab eo alterum conatum petere, duoque puncta statuere. Ante omnia necesse est — et id facile fit — curare ut ipse animadvertat suum principalem angorem se ostendere hoc modo: " Fieri non potest ut ego certitudinem et securitatem acquiram respectu quaestionis, quae mihi majori curae est ,, ».

psychotherapicae scrupulosorum; hoc est *auctoritas*, qua frui debet confessarius vel medicus, et *oboedientia*.

Jam Legrand du Saulle (1), scribebat: « quod in curandis multis statibus psychophaticis absoluta auctoritas est quaedam necessitas, quae frequenter felicem exitum habet, quaeque nemini nocere potest ». Equidem sane bene aegrotus descendit ad recipiendam hanc directionem, quae in auctoritate fundatur. Ipse dirigi, quin immo imperio teneri exoptat, ac ipse idem majorem reddere conatur influentiam, quae supra ipsum exercetur. Brevi tempore fieri potest, ut in ipsum eam obtineamus auctoritatem, quae quamplurimum ad ejus sanitatem pertinet. Haec auctoritas facile acquiritur, quum in animo aegrotantis excitatur confidentia.

Superius jam exposuimus causas, quae facilem reddunt ejus acquisitionem, sed eodem tempore vidimus quam multae sint difficultates ad obtinendam confidentiam plenam et absolutam. Facile est quandam generalem confidentiam acquirere ex hoc quod aegrotus ipse eam desiderat eâque indiget; sed plena confidentia difficile acquiritur, quia aegrotus prohibitam sibi esse arbitratur hanc confidentiam, quae ipsi cordi est; hinc etiam ob ejus causam oriuntur dubitationes et scrupuli. Ejusque acquisitio difficilis quoque est, quia scrupulosi timent ne noceant principio sacro, quod constituit fundamentum ideae obsidentis. Ipsi quamlibet rem relinquerent, sed hoc principium nequaquam. Nunc ipsi timent ne is, cui confidere coeperunt, quandoque possit aliquid jubere, quod huic morali principio obstet. At, his non obstantibus difficultatibus, confidentia acquiri potest. Supra vidimus quomodo sit excitanda usque a primis colloquis; sed huic facto insistere convenit, ut ostendatur quomodo ea conservari et augeri possit.

---

(1) *Agoraphobie*, pag. 79.

Et de hac re instandum est; confidentia est necessaria. Qui nescit acquirere confidentiam scrupulosi, dimittat officium animae scrupulosae dirigendae. Scrupuloso necesse est acceptare ideam quam, qui dirigit, ei imponit; si eam acceptat *sub beneficio inventarii*, id significat quod ipse non patitur se dirigi, et tunc uberius et fusius inter se disceptabunt aegrotus et confessarius, et incertitudines dubitationesque augescent. Equidem ad acceptandas ideas alterius, necesse est ei se totos committere.

At, ut aegrotus confidentiam in nobis collocet, eam mereamur necesse est. Ars equidem difficilis, quae libris non traditur, quaeque constat sanctitate, benignitate et lenitate animi, rectitudine conscientiae, securitate tractactionis, competentia. Nemo ergo cogitet quod ego paucis lineis tradere petam hanc difficillimam artem; mihi satis est in mentem revocare id quod me docuit experientia.

Confidentia innititur in superioritate ejus, in quo eam collocamus. Igitur qui dirigit videri debet moraliter et intellectualiter superior. Aegrotus in conspectu alicuius hominis, cujus mentem et conscientiae rectitudinem aestimat, sentit bonum se nactum esse hominem, habet impressionem conscientiae sensumque securitatis. Quamplures arbitrantur hanc superioritatem obtineri multo eruditionis et securitatis apparatu. Cognitos habui medicos et confessarios, qui scrupulosis narrabant *casus*, quos ipsi viderant, quosque ipsi ad sanitatem completam adduxerant propter suam ipsorum habilitatem. Nonnulli irrident perturbationibus scrupulosi. « Res nullius ponderis est, quae brevi elidetur ». Multum adiuvat ad hunc obtinendum effectum sinceritas et altitudo persuasionum medici et confessarii. Quum aegrotus in medico et confessario advertit illum animi statum, qui provenit ex sincera et profunda persuasione, sponte in ipso enascitur spes sanitatem con-

sequendi. Jamvero nihil tanti est in hoc morbo curando, quam *fiducia sanitatis consequendae*. Qui eam sibi comparaverit, dimidium sanitatis habet. Quapropter omnino curandum est ne aegrotus se permittat suis cruciatibus continuo recrudescentibus, ac ut ipse prae oculis habeat quandam rationabilem *fiduciam sanationis*, quae tamen pari tempore abhorret ab inanibus et nimiis jactationibus verborum, quaeque profiscicitur ex experientia, ex bona tractatione, qua utimur, necnon ex motivis ordinis supernaturalis.

Medium ad excitandam hujusmodi fiduciam, positum est in modo, quo utuntur medicus et confessarius, quum loqui debent. Quod aegroti ipsi affirmant. Ubi primum meliores fiunt, et perspiciunt bonam efficaciam consiliorum ejus, qui eos dirigit, aiunt: « Res miranda! quae tu mihi dicis jam plures mihi dixerunt; ea bene quidem intellexeram; attamen de his mihi persuasum non erat, et effectus nullus proinde erat ». Ipsique aegroti rationem indicant: « Aliorum confidentiam, fiduciam non habebam, dum ad te quod attinet res omnino aliter se habet ». De hac re omnes psychotherapiae cultores instant. Immo Déjerine (1) inquit: « Sive prospere sive haud bene psychotherapia succedat, omnis explicatio repetenda est ex hac confidentia ». Verum, etsi competentia producat confidentiam et fiduciam, tamen ipsae conservari nequeunt nisi per aliquam particularem animi bonitatem. Primo intuitu repugnare videbitur quod, uno eodemque tempore, absoluta auctoritas et bonitas exigatur; sed repugnantia tantum in speciem adest. Bonitas non idem est ac indulgentia, obsequientia, nimia facilitas; bonitas significat quendam animi statum, vi cujus nos juste misericordes praebemus erga hos infelices; bonitas idem est ac patienti animo eos auscultare, eos dirigere, eisque millies eandem rem repetere; boni-

(1) *Op. cit.*, pag. 395.

tate intelligitur illa clara dulcedo animi, quae facilia reddit difficillima jussa, quae nostris aegrotis praescribimus, quaeque eorum dissidentes sensus naturalemque repugnantiam frangit. Re quidem vera sane scripserunt omnes magistri de rebus asceticis, quod hujusmodi aegrotantes cupide bonitatem appetunt, non modo quia sunt debiles et male affecti, sed etiam quia ipsi iidem intelligunt praesertim fieri molesti et fastidiosi. Quoties se ad sedem poenitentialem conferunt hoc repetunt: « Ego tibi fastidium affero, semper eandem rem repeto.... ». Ex quo denuo animo cadunt. At, si eos bonitate diu audivistis et vicistis, ipsi, ad exitum colloquio adducto, tranquillo hilarique animo discedunt, saltem ad tempus. Ipsi iterum vos adeunt, quia ex facto sciunt quod inter multitudinem hominum indifferentium malorumque, vos plurimum benignitatis in eos confertis; et ipsi sciunt quod res auctoritative praescriptae profisciscuntur ex bonitate, qua utimini erga eos, ipsi denique sciunt quod, etiamsi eos objurgatis, tamen vos benigne tenet misericordia eorum, quia eos aegritudine correptos aestimatis.

De hac re Emyeu nonnullas alias subtilissimas observationes instituit, quas referre juvat (1): « Scrupulosus, ipse ait, similis est cuidam mimosae, quae quum primum ab aliqua re dura tangitur, statim in seipsa comprimitur.... Minimum verbum directoris ei terrorem incutit, quia ex hoc ei timendum videtur ne ipsum director deserere velit. Quid ei erit faciendum, quum ejus directione carebit? Id omne, et etiam minus, sufficit ad eruendum aedificium magno labore a directore extructum; et aegrotus humi jaceret, — tamquam quaedam res dirupta — prouti unus ex iis vehementer commotus aiebat. Nequaquam igitur e conspectu amittendum est, quod attingimus rem admodum delicatam,

(1) *Op. cit.*, pag. 229.

non modo cor aliquod vulneratum, sed etiam rem fragilem. Ictus omnes, quos infligere potest is, quis has animas dirigit, vulnera inferunt; quapropter in eo posita est vita et mors.... Et vita in hoc casu conservatur exclusive mediante illa bonitate et firmitate, quae provenit ex competentia, ex qua, sua vice, sponte persuasio proficiscitur ».

Hae sunt viae, per quas consequi possumus auctoritatem in animum scrupulosi, quin tamen ullum detrimentum afferamus ejus fragili constitutioni psychicae.

His confectis, id jam effecimus quod magni momenti erat.

e) — *De oboedientia.* — Auctoritas quoddam habet correlativum; hoc est oboedientia. Medicus confessariusve, clara notione sibi comparata circa morbum subiecti, ejusque quaerimoniis auditis, atque, mediante bonitate necnon demonstratione suae competentiae, eorum fiducia sibi conciliata, praecipere debent. Et oboedientia usque a primis colloquis petenda est; videlicet quamvis paullatim scrupuloso sit imponendum, quod ei faciendum est, tamen usque a primis colloquis incipiendum est aliquid aegroto imponere. Videbimus infra, in paragraghis sequentibus, quid cogitare et facere jubendi sint aegroti; hic satis est innuere quomodo jubendum sit.

Oboedientia, quae in hoc casu requiritur, est plena, absoluta. Hoc tantum modo, potest quis se subtrahere a suis insanis ideis, atque suae personalitatis dominium recuperare. Attamen hoc notandum est; scrupulosus ipse profecto sentit necessitatem oboedientiam praestandi, ipse, sicuti pluries animadvertimus, quempiam flagitat, cui inniti possit, cuique injungere onus suarum actionum; at ipse, singulis momentis, quum timet ne, qui eum dirigit, in periculum adducat principium morale, quod constituit fundamentum suae ideae obsessivae, tunc re-

cuperare conatur propriam libertatem; suas dubitationes non impedit; sensim sine sensu ea omnia resumit, quae primo se adepturum promiserat per manus ejus, qui eum dirigit. Hinc consequitur quod scrupulosi oboedientia numquam est completa, et proinde, omnis fructus exinde captus amittitur. Scrupulosus ipse conqueretur quod oboedire haud valeat, atque compertum habebit omne damnum hujus oboedientiae relativae, sed incapax erit reparandi suum statum.

Aut prorsus absolute absque ulla exceptione oboedire, aut morbum ingravescere perspicere; en dilemma quod scrupulosi nanciscuntur. Ut oboedientiam obtineamus, necesse est aegroto illustrare hujusmodi dilemma, eique monstrare, quinam sint effectus inoboedientiae partialis, et, si aegrotus non se submittit, ei declarare oportet, nos eum relinquere. Haec ultima declaratio plerumque illa est, quae animi fluctuationes frangit. Timor ne relinquantur, incapacitas se alteri patefaciendi, terror ne inveniant aliquem, quem eorum misereat, et in cujus fidem se tradant, haec omnia ut plurimum de aegrotis judicant.

Sed promissio oboedientiae non est oboedientia. Praxis oboedientiae fit singulariter difficilis ex eo quod in nostris aegrotis dubitationes omni ope praevalere contendunt. Cursus idearum, dubiorum, emotionum, ruminationum, tota evolutio phaenomenorum psychicorum, quibus hactenus studuimus, adeo intime inter se connexa habent varia elementa et motiva, ex quibus causam recipiunt, ut voluntas oboediendi praescriptis medici aut confessarii potissimum conatum requirit. Igitur oportet aegrotum velle se sanum fieri; et quidem id velit oportet voluntate absoluta. Profecto, scribit Emyeu (1), aegrotus nimiis magnis doloribus cruciatur ob suum morbum, ut haec voluntas sponte exurgere possit. Sed nunc,

(1) *Op. cit.*, pag. 292.

sicut semper, infelix ille crisibus contradictoriis corripitur. Is vult et non vult, et haec fluctuactio, verbis sic sonat: « Vellem, nisi timerem ne in periculum adducerem id, quod magis diligo ». Is ergo *practice* non vult, et habilitas directoris in hoc consistit, ut eum adducere valeat ut dicat: « Volo ».

Quum scrupulosus nobis dicit, quod ipse in quibusdam circumstantiis nescit quid ipsi sit faciendum, quid credendum, ipsi fides habenda non est. Reapse, quoniam is intelligentia praeditus est, praeclare scit quid sibi esset faciendum; at id, quod facere non valet, est perficere illum actum, quem pluris aestimat. Ex quo consequitur quod non quaevis praescripta aut quaevis (1) affirmatio sunt imponenda his aegrotis; si mandatum nostrum opponitur secretis desideriis aegroti, hujusmodi oppositio ad ejus perturbationes addit novas rationes, ut perturbetur. Convenit igitur evitare hanc contradictionem eaque praescribere, quae ipse tamquam praeferenda mente conceperit (2).

Haec commendatio valde simplex videtur in theoria; sed in praxi multum difficultatis habet, quoniam aegrotus magnopere cavet ne nobis indicet quinam sit actus, quem ipse pluris facit. Indicare hunc actum medico vel confessario perinde esset ac reapse eligere; dum psychastenicus noster incapax est usque huc perducere functiones realitatis. Quamobrem, tum quum scrupulosus se confert ad medicum vel ad confessarium

---

(1) Unus ex his aegrotis sane aiebat: « Ego tractari nolo perinde ac puer, cui quaevis idea imperatur; pro nihilo facio, quod mihi contradicatur; ego adjuvari cupio ad perficiendum meum actum, atque illuc impelli, quo pergere cupio ! ».

(2) Re quidem vera in hoc casu alteratio posita est in voluntate: « Ego bene orare volo, sed nescio utrum nunc bene oravi » ita v. g. unus ex his loquitur. Ejus intellectualis praelatio bona quidem est (bene orare), sed is non valet eam ad actum reducere, et omnem dubitationem practicam dispellere.

simulans quandam incertitudinem intellectualem, qua reapse non afficitur, quo magis ipse suum desiderium celaverit, eo felicior erit illud confirmatum videre et, eo magis impelletur ad agendum propter quandam affirmationem, quae ipsi ultro facta videbitur.

Exinde sequitur quod, non modo, ante quam quoddam praescriptum scrupuloso imponamus, inquirendum est id, quod est justum in illa determinata occasione, sed etiam suspicione assequendum est id, quod aegrotus cogitat, et consequenter consilium capiendum est. Paucis verbis, confessarius et medicus facere debent id, quod aegrotus facere non valet, ac efficere ut fiat reale id, quod est intelligibile. Quod fieri potest, postquam medicus et confessarius sibi conciliaverint fiduciam aegroti atque postquam multum auctoritatis apud eum adepti fuerint (1).

Ut melius res explanetur, ad exemplum exponamus casum scrupuli moralis. « Homo christianus preces matutinas et vespertinas recitare debet contrito corde ». Hoc est illud principium morale, quod scrupulosus ceteris omnibus omnino potius habet; illud denotat id, quod ejus mens praefert. Sed hujusmodi principium etiam illud est, quod constituit fundamentum ejus angorum ejusque dubiorum (2). Et dubia his utuntur for-

---

(1) Fortasse dices, scribit Janet (*op. cit.*, pag. 319) quod hic procedendi modus non semper succedit, ac quod efficacia confessarii vel medici eo veniet, ut finem habeat. Sed ita res non est. Ipsa per multos annos confirmatur, et medici vel confessarii est conservare propriam auctoritatem et propriam fiduciam.

(2) Quandoque idea, quae aliis ante ponitur,non est rationabilis, sed mira est et abnormis. Id fieri potest, scribit Emyeu (*op. cit.*, pag. 297), quando agitur de quadam obsessione vel de quodam delirio. Alius obsessione corripitur, quia timet, ne pinguescat. Idea miranda et abnormis; ex qua evelli potest ea particula veritatis, quae excipitur: « Cur timet, ne pinguescat? Quia corpore deformatus ero. Cur timet deformitatem? Quia amari cupio ». Tentari igitur potest, transformare curam, qua quis uti-

mulis: « At ego fortasse oravi distracte; at ego forsitan... etc.». Tunc confessarius caveat ne suum mandatum sit contra ea, quae a scrupuloso praeferuntur; verbi gratia ne prohibeat orationem. Ex adverso confessarius suspicione assequi debet has inclinationes, hoc, quod a spiritu aegroti praefertur, eumque tutum praestare, nihil se commissurum esse contra illud principium, quod ipse amore prosequitur; mandata tendere debent ut aegrotus transitum faciat ab idea (orandum est) ad id quod est (actus orandi). Poenitens sub quodam speciali aspectu videbit mandata sibi a confessario praescripta circa methodum orandi. Quoniam confessarius vult id, quod ipse poenitens vult, nempe id, quod sibi magis cordi est (re, orationem cum animo contrito peractam), is scit timorem nullum esse ob oboedientiam, quam ipse praestabit. Etiamsi actus, quem facere jubetur, esset formaliter malus et culpabilis, nihilosecius sua conscientia culpa careret. Sua fides ipsi ostendit quod sacerdos, quem directorem suae ipsius animae elegit, est Dei nuntius, et usque dum non videat *indubia evidentia* ab eo peccatum mortale postulari, ipsi offi-

---

tur ne pinguescat, in curam, qua possimus mereri dilectionem personarum rationabilium, et sub hac forma ea oppognunda non est. Alius obsessione pulveris afficebatur. Cur? Quia adhibenda est exquisita munditia! Optime! Sit munditia exquisita sane! — Uno verbo est semper quaedam idea boni ea, quae attrahit hominum volantates; nos eam in suo fundamento accipientes, ac generalem facientes, eamque separantes a circumstantiis in quibus eam spiritus coarctavit, eam rationabilem reddere possumus. Hoc modo, perspicitur, quod nobis satis non est primitivum parvulum desiderium, sed illud majus efficere volumus. Individua, v. g. quae pulverem horrent, toto animo incumbunt in hanc ideam et mirabiliter patiuntur sordem, quae sese exhibet sub alia forma, quemadmodum individua, quae frequenter lavantur, pulverem usquequaque patiuntur. Cura generalis munditiae efficacior erit ut in tuto collocetur illud reale desiderium, quod constituit fundamentum harum formularum.

cium et jus est oboedire ei, qui Dei vice fungitur. At proprio jure uti, et officio suo non deesse, perinde profecto est ac malum fugere et nullum detrimentum afferre propriae moralitati (1). Scrupulosus igitur non timet ne in periculum adducatur principium morale, quod amore prosequitur, neque veretur ne oboedientia caeca possit detrimentum afferre ejus integritati.

Medium efficax, quod scrupulosum movet ad praestandam oboedientiam caecam est ei ostendere quasnam consequentias nanciscatur ejus status. Mens mea est loqui de eo, quod contingit in vita morali. Quamquam parum sit credendum eorum verbis, ob exaggerationes et simulationes quibus, uti vidimus, veritatem obruunt, nihilominus fatendum est quod, si morbus longius producitur, laedit eorum somnium morale, eorumque morale principium. Verum est, prouti loquuntur auctores ascetici, quod crisis scrupulorum purificat; sed non est negandum quod, si morbus diu protrahitur, contra ea evenit, quae scrupulosus sibi proponit. Sane bene hoc factum illustrat Emyeu (2). « Quandoque illud quidem aedificium evertitur quod quoque modo construendum erat; illud desiderium ruinam minatur, quod maximo amore prosequimur, quodque incolume servare putamus. Quicumque sit amor, quo scrupulosus suum somnium prosequitur, tamen infinitus non est, et, quemadmodum in hoc mundo amor praelatio quaedam est, sic fieri potest, ut tormentum, quo cruciatur, eo veniat, ut ei continuam molestiam exhibeat, et proinde ipse pluris pacem faciat, quam, relicto suo somnio, acquirere potest. Ipse, assiduis conatibus frustra peractis consumptus, quolibet conatu et quavis disciplina defatigatur.

---

(1) Auctores ascetici, in lucem prodierunt aspectum moralem hujus oboedientiae caecae, monstrando, quod, theologice, ea respondent normis fundamentalibus vitae moralis.

(2) *Op. cit.*, 241.

Postquam se impulerit, per multos annos, ad eventum impossibilem consequendum, capere decernit ractionem quandam, actioni similem. Nonnulli aegroti, exasperati eo quod nihil certum sciant, quod omnia ignorent, non obstantibus suis conatibus absurdis quidem et quam pro homine majoribus, utrum necne quendam errorem commiserint, operam dant, magno ex animo, multaque industria, peccatis patrandis, ut tandem aliquid certum habeant. Homines extant, quorum doctrina et vitae ratio in admirationem coniciunt viros nostrae aetatis; ipsi sunt quidam antiqui scrupulosi, quadam reactione correpti. Jamvero aliquid boni efficit, subicere oculis scrupulosi hanc possibilitatem; quo medio confessarius uti potest; attamen maxima cum suavitate, ne contrarium eveniat.

Sed non sufficit ut nobis oboedientia praestetur, neque satis est scire quaenam sint praescriptiones imponendae (1): scire oportet jubere. Hac in re instemus necesse est. Quamplures sunt, qui non solum nullum valent obtinere effectum, sed eo veniunt, ut pejores reddant conditiones ejus, cujus cura ipsis demandata est, propterea quod nesciunt jubere.

Scrupuloso imperare perinde est ac ita loqui, ut ne una quidem possibilitas dubitandi relinquatur in interpretatione verbi. Scrupulosus ita efficiet, ut dubia adsint etiam ubi non sunt; sed vae quidem si confessarius vel medicus verbis utantur non praecisis, neque claris! Et adhuc pejus, si utantur voce « forsitan ». Memoriam quorundam casuum teneo, in quibus aliqua incertitudo, vel dubitatio confessarii relate etiam ad res nullius momenti obruerat scrupulosum multitudine indefinita dubiorum. Praeceptum debet esse imperative

(1) Quid sit imperandum scrupuloso videbimus in capitibus sequentibus; heic ostendimus solummodo regulas fundamentales, juxta quas exercenda est oboedentia.

et absolute expressum, nullis declaratis rationibus. Declaratio rationis producit dubitationem. « Confessarius, medicus, mihi hoc dixerunt, quoniam ego ipsi dixi....; at si ego.... ». Ratio mandatorum praescriptorum tunc solum reddenda erit, quum aegrotus adeptus fuerit quandam relativam animi tranquillitatem. Quod curandum est etiam ad evitandam disputationem. Sunt quidam, qui confessionibus scrupulosorum recipiendis vacant, quibus oboedientia est effectus quorundam compromissorum (1); at nihil est majoris detrimenti, quam hujusmodi procedendi modus. Profecto praescriptum prolatum revocandum non est. Revocatio praescriptionis datae aufert auctoritatem, viam sternit ad dubitationem, demonstrat incertitudinem ejus, qui dirigit. Insuper certe quidem qui dirigit utatur necesse est competentia et meditatione; jam hoc diximus et subinde jactavimus, et adhuc hoc repetere juvat; at praescriptio data, nullaque de ea disputatione theoretica admissa, revocanda non est, nullam ob rem.

Advertendum tamen est quod non sufficit mandatum quoddam praescribere. Dum confessarius et medicus loquuntur, aegrotus mente jam longius abest, et nihil audit nisi suas ruminationes. Pro certo habere debemus quod ipse audit, ac intelligit formulam praescriptionis datae. Neque desistendum est pluries praescriptionem repetere, ac insistere (2).

---

(1) Attamen res intelligenda est cum granu salis. Si impossibile est mandata exsequi propter quandam impossibilitatem physicam, aegroto extrinsecam (defectum pecuniae, impedimentum familiae, munus praecedens), tunc fieri potest, ut aegrotus dubitationes moveat. Sed minime in quolibet alio casu, et praesertim non sunt admittenda dubia theoretica.

(2) Repetitio cujusdam mandati non est putanda perinde ac defectio firmitatis. Profecto est contra rationem repetere mandatum, quod jam intellectum fuit, sed non est petenda a scrupulosis ars intelligendi. Non sufficit ut hic comprehendat; est ejus

Denique mandata exsequi jubeantur. Sed ad hunc finem consilia non valent. Postquam suggessimus media superius exposita, nihil dicendum remanet. Reliquum praeclara ars est, quae verbis non docetur, quaque alii mirabili modo fruuntur, alii vero carent. Quod si animadvertatur nullam esse perceptam utilitatem, medici et confessarii seipsos examinent oportet, atque videant utrum defectus executionis situs sit in propria ipsorum insufficientia. Res equidem difficilis! Numquam enim parati sumus ad recognoscendam insufficientiam nostram; nos nos fallimus, et caeci oculos claudimus. At examen conscientiae bene institutum et conscientia recta nos illuminare possunt. Melius est sinere alios facere id, quod facere nos nescimus.

§ 6. — Conclusio.

Concludamus. Regula fundamentalis pro sanatione scrupulosi otinenda, est consequi in ejus animo illam auctoritatem, quae provenit ex competentia, qua fruimur, et ex ea confidentia, quam inspiramus, quaeque

---

voluntas quae infirmatur, et nos eum adiuvare debemus in hac re. Scribit Emyeu (*op. cit.*, pag. 293): « Est multitudo consociata et ordinata idearum practicarum, quae provocat vim volendi, et praeter directionem, nihil habetur, quod valeat reddere practicas ideas aegroti, easque consociare. Jamvero, semel acceptata directio, tanto desinit esse certa et definita, quanto ejus recordatio evanescit, et fit abstracta, vaga, frigida, et sic amittit vim consociandi ideas, et actibus imperandi ».

« Enimvero cum ea luctatur immensus insanarum idearum cumulus. Necesse igitur est eam corroborare, quemadmodum reficiendum curamus instrumentum destinatum ad accumulandam electricitatem quum consumitur, eique suppeditare imagines, emotiones, deliberationes, vigorem, eamque reddere magis ac magis insitam, divitem, complexam ». Quare confessarius, patienti animo debet easdem res repetere.

permittit obtinere oboedientiam quandam caecam et absolutam.

In hoc consistit illa directio moralis, quae uti vidimus, est medium unicum, per quod scrupulosos sanitati restituere valemus.

Nunc determinandum restat, quae sint mandata scrupulosis praecipienda.

Caput decimum

De cura morali scrupulosorum.

De mediis pro diminuenda difficultate quoad vitam scrupulosi.

1. *Regulae generales.* — Explanantur rationes propter quas diminuendae sunt difficultates et complexitas vitae. Limites servandi. — Exempla.
2. *Regula pro solvendis difficultatibus circa scrupulos de rebus religiosis.* — Evidentia tamquam criterium rationis. — Formulae practicae. — Earum ratio et utilitas. — Officia practica. — Casus particulares.
3. *De suppressione actuum religiosorum.* — Quibusnam in casibus, quibus limitibus et quanam cum diligentia sit adhibenda.
4. *De effectibus regulae traditae.* — Actio cumulans et actio simplificans.
5. *De morali rectitudine formulae propositae.* — Liceitas agendi juxta evidentiam pro scrupuloso.
6. *Conclusio.*

§ 1. — Regulae generales.

Quid injungendum scrupulosis? Haec est interrogatio, quae finem imposuit capiti praecedenti, cuique nunc respondendum est.

Quomodo sit procedendum statim luculenter apparet ac consideramus ea, quae in lucem protulimus, quum exposuimus theoriam pathogeneticam (cfr. caput quintum, pag. 160 et sq.) hujus morbi. Tunc vidimus quod factum fundamentale positum erat in quadam insuffi-

cientia hereditaria aut acquisita functionum psychicarum superiorum respectu accomodationis ad realitatem. Energia psychica, qua individuum utitur, non sufficit ad id, quod est necessarium, et exinde in omnibus functionibus mentalibus consequitur quaedam debilitatio, quae ducit ad dubitationem, ad obsessionem, ad inquietitudinem.

Ex quo evidenter fit, quod ad reintegrandam functionem normalem nil faciendum remanet nisi *diminuamus difficultatem*, et denuo *extollamus tensionem psychicam*. Mens mea est demonstrare quibus mediis obtineri possit hujusmodi duplex effectus.

A primo incipiamus, quod consistit in diminuenda difficultate. Hic est etiam processus spontaneus sanationis; ille ad quem frequenter pervenire possumus progressu aetatis; et haec solutio quoque ea est, quam ultro praebent ipsi aegroti, qui quodam vitae momento eo perveniunt, ut omnino procul a coetu hominum aetatem agant. Idcirco ars horum aegrotorum curandorum potius quam in excitanda tensione psychica, in eo sita est, ut quamplurimum imminuere curamus necessitates subiecti. Nunc vero quaeritur utrum adhibenda sit hujusmodi curatio an favendum sit processui naturali morbi. Et re ipsa, si ab individuo petamus ut minori conatu utetur, poteritne ipsum perfectius ad exitum adducere suas functiones, et, redeunte functione realitatis, poteritne ipsum videre evanescere phaenomena derivationis et ideas obsessivas?

Statim liquido patet quod, quamvis utile esse possit ad minuendam difficultatem, quam maxime diminuere necessitatem individualem tensionis psychicae et ideo diminuere, vel etiam abolere certas determinatas actiones, tamen in hac re nimis indulgendum non est, adeo ut abolere sineamus omne quod aegrotus facere difficile putat. Si hanc viam persequeremur, omnia auscultando, quae nobis aegrotus dicit, eo perveniremus,

ut aegrotus nullam aliam actionem esset facturus ob metum propriae insufficientiae.

Verumtamen hoc agnoscendum est. Morbus, prouti vidimus, incipit quum vita fit implexa, et quum subiectum in ea conditione versatur, ut inter aliquid eligat et se dirigat in suis ipsius actionibus. Convenit igitur examinare nonnullos horum casuum ut determinemus in quo practice consistant hujusmodi simplificationes conditionum difficilium, et complexarum vitae.

Frequens occasio, prouti vidimus, datur, v. g., ex sponsalibus. Aegrotus narrat, quod certo quodam scrupulo corripitur, quod ipse non potest assuescere pati conspectum suae sponsae, quod ipse animo caret ad dirigendam familiam; ac se interrogat utrum sufficienter diligat suam sponsam, etc. Et hujusmodi scrupuli sunt manifestatio cujusdam status fluctuactionis, qui determinatur ex voluntate, quae incapax est resolvere quaestiones, quae exurgunt causâ cujusdam conditionis, quae ipsi omnino nova est. Evidenter huic individuo, quod jam afficitur quadam tensione psychica insufficienti ad vitam degendam, status matrimonialis est periculi plenus, quoniam hic status auget ac multiplicat complexitatem vitae ipsius. Expedit igitur secundare inclinationes ipsius individui ad evitandas omnes difficiles conditiones; eique suadendum est sponsalia dissolvere. Optimum est aegroto, tali spe ei dempta, his parere consiliis; atque ab eo decedit crisis ruminationis, dum e contra is extremam attigisset psychasteniam, si in conditione perstitisset ei implexa nimis.

Etiam professiones, prouti vidimus, quandam conditionem implexam producunt, et quidem nimis implexam, si perspiciatur tensio quam subiectum in subsidio retinet. Ejusmodi sunt, respectu quorundam subiectorum, professio causarum agendarum in foro, professio medicinae, munus opus aliquod gerendi.

Tunc sufficit a subiecto hoc pondus auferre, ut illud sanitatem acquirere valeat. Janet (1) advertit quod plures aegroti symptomata, quibus afficiebantur, amittunt tempore quo militiae vacant, quoniam quum vitam militarem agunt nansciscuntur simplicitatem vitae, disciplinam, ac priores in agendo esse desinunt, quum ea capere debent consilia, quae ipsos decent.

Typicum exemplum affert Raymond (2). Quidam officio et munere suo perfecte defungebatur; certus quidam rei eventus, eum ad altiorem conditionem provexit eumque coegit ad administrandam arcam nummariam officinae, ubi munera sua praestabat. Ob munera praestanda adeo perterritus est, ut nullum amplius sciret inire consilium, atque quadam crisi obsessionum scrupulosarum affici coeptus est. Tranquillitas et valetudo tunc tantum restitutae sunt, quum ipse pristino officio restitutus est.

Uno verbo quamplurimi extant casus, in quibus demonstratur quod vitae complexitas excitat typicam phaenomenologiam, quam descripsimus. Sufficit simplicem reddere vitam ut sanitas obtineri possit.

In omnibus his casibus et in aliis quamplurimis his similibus, difficultates proveniunt ex quadam conditione sociali.

Sunt casus in quibus implexa est conditio moralis; tunc difficile est producere quamcumque deliberationem quae judicium quoddam morale contineat.

Mentionem fecimus de casu typico et communiori.

Prouti vidimus, crisis scrupulorum frequenter exurgit occasione primae Communionis, saltem ut plurimum, quando individuum adducitur ut meliorem faciat suam vitam, atque compleat seriem quandam actorum implexorum et difficilium, qui suam vitam moralem respiciunt,

---

(1) *Op. cit.*, pag. 720.

(2) *Ibid.*, Vol. II, pag. 470 et seq.

sicuti sacramentaliter confiteri et Eucharistiam suscipere. Vel crisis exurgit, peractis exercitiis spiritualibus, quia tunc individuum fugere debet occasiones, examinare propriam conscientiam, atque de ea rationem reddere. Vel etiam tunc crisis exurgit quum se manifestat vocatio ad statum religiosum, ac momento relligionem ingrediendi. Liquido patet quod in his casibus difficile est solvere quaestionem, quae respicit diminutionem difficultatum.

Si agatur de quadam juveni puella cultui divino sacranda, vel de quodam clerico presbyteratus ordinem suscepturo, facile erit omnia suspendere et etiam, in aliquo casu, renuntiare statui particulari, quem individuum elegerat; nam melius equidem est in saeculo vitam sanam et bonam degere, quam in relligione vitam agere aegrotam et inutilem.

Verumtamen in nonnullis casibus interdici non potest actus, cui difficultas inest; ita, v. g., interdici non potest confessio, oratio, neque prohiberi potest quilibet actus relligiosus. Quod equidem grave esset non modo sub aspectu religioso, sed etiam, uti vidimus, respectu habito ad ipsam psychophatologiam. Reperienda igitur est quaedam norma, quam sequi debemus in casibus, in quibus habentur ideae obsidentes cum fundamento relligioso.

Ex quo patet, quod processus, quibus uti convenit, diversi sunt, prouti differunt ea, quae continent ideae obsidentes, quibus torquetur psychastenicus noster; atque id, quod in uno casu prodest, in altero nocere potest.

§ 2. — Regula pro difficultatibus solvendis circa scrupulos de rebus religiosis.

Nunc vero nos agimus simpliciter de obsessionibus scrupulorum, relatione habita ad ideam religiosam, ideoque id unum dicere debemus, quod respicit curam harum idearum obsidentium.

Ad hunc finem in memoriam redigamus, in quo consistat scrupulus.

Vidimus quod scrupulus fundatur in quodam syllogismo; cujus *major* est quaedam bona idea. Bonus christianus debet orare, debet confiteri, debet fugere malum, etc. Ideoque nulla adest ratio, prouti jam vidimus, ad auferendam hanc *praemissam*. Hoc facere perinde esset, ac rem quandam auferre, quae in se est bona, quaeque, quod infra videbimus, magnae esse potest utilitati ipsi aegroto, qua talis. Nec ulla ratio nos impellit, ut hoc faciamus. Nos eam tantummodo supprimere deberemus, si idea, quae constituit fundamentum hujusmodi principii valde implexa esset, et proinde, qua talis, superaret vires nostri aegroti. Sed hoc non contingit; idea quae constituit *majorem* sillogismi, est quaedam idea simplex, quae non occupat locum quendam elatum in hierarchia psychica (1). Hinc nulla adest necessitas eam supprimendi (2). Aliunde notare convenit, quod ejus locum, plus minusve festininanter, quaedam alia idea occuparet, et ita rursus initium capiendum esset.

Evidenter igitur, per exclusionem, nos observare debemus quomodo aegrotus scrupulosus utatur hoc principio morali; scilicet animum intendere debemus ad *minorem* syllogismi; i. e.: « Forsitan hoc commisi »; — « Forsitan ego non institui examen sufficiens »; — « Forsitan ego non recitavi hanc precem ».

(1) Cfr. supra, pag. 161, ea quae diximus circa hierarchiam phaenomenorum psychicorum in ordine ad eorum complexitatem et difficultatem.

(2) In quibusdam casibus, raris tamen, hoc quoque faciendum est. Quod contingit «quando confessarius potest haec extrema persequi, et scrupuloso dicere ei non esse necessarium in suo statu actuali sacramentaliter confiteri, vel melius non esse necessariam narrationem historicam peccatorum, sed ei sufficere in suo statu particulari recitare *Confiteor*. At de hoc, deque norma sequenda ad hoc obtinendum, inferius.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

Sed etiam in hoc casu distinguendum est.

Haec particularis applicatio cujusdam regulae moralis generalis constituitur: *a*) ex quodam criterio, ex quadam norma, vi cujus scrupulosus ad se applicat normam generalem; et: *b*) ex quodam facto occasionali, quod cogit nostrum aegrotum, ut ad se referat talem applicationem.

Utamur exemplo. Sit idea quaedam obsidens: « Quilibet bonus christianus debet se bene examinare ut omnia peccata confiteatur. Sed ego, *forsitan*, non institui examen quoddam completum, ergo.... » etc., Jamvero heic principium bonum est, et, propter rationem supra citatam, non est delendum. In *minori* reperimus applicationem quandam personalem, et factum quoddam occasionale. Hoc nostro aegroto occasionem praebet sacramentaliter confitendi, et suam conscientiam examinandi. Jamvero factum occasionale supprimi non potest. Quodcumque aliud factum potest ejus locum occupare, et rursum esset reincipiendum. In aliis casibus factum occasionale est indifferens, et etiam futile. Quoquo modo non est implexum neque elatum locum occupat in hierarchia psychica. Quapropter non hic invenienda est causa tormenti, malique. Causa posita est in applicatione personali normae generalis ad seipsum; et quidem in hac applicatione posita est complexitas, quoniam scrupulosus capax non est acquirere certitudinem, in ordine ad hanc applicationem ad suum casum personalem.

Heic igitur incumbendum est, ut invenire possimus simplificationem.

Jamvero id obtinetur, statim ac tamquam vitae ratio, sequens norma adhibeatur: « Ad me quod attinet, quum agitur de quadam obligatione conscientiae — obligatione sub poena peccati mortalis vel peccati venialis vel imperfectionis — *tantummodo evidentiae* sunt ma-

gni momenti ». « Ad me quod spectat, — sive agatur de peccato mortali, sive de peccato veniali, sive de aliqua imperfectione — ego non possum contrahere nisi malum, cujus habeo *perfectam evidentiam* » (1).

---

(1) Hanc normam praebet Emyeu, quam ego ad litteram transcripsi. Ad me quod attinet, ea usus sum, eaque sufficiens et bona mihi visa est, uti infra demonstrabitur. Quoniam ad scrupulosos quod spectat, necesse est, prouti superius ostendimus, omnia verba, quae dicuntur, ponderare, magni erat momenti aliquam invenire formulam, quae in omnibus suis verbis responderet omnibus obligationibus, quas facere ipsa jubere potest. Jamvero Emyeu nonnullas instituit observationes, ut demonstraretur, quod hujusmodi formula huic respondet necessitati. Hae observationes tam bonae videntur, ut dignae sint, quae eisdem verbis transcribantur: « " Pour moi ,,, ce n'est peut-être pas vrai pour les autres; mais il s'agit de moi. Je peux, je dois et je veux obéir; or c'est l'ordonnance, je n'ai qu'à la suivre. — " En fait d'obligation de conscience ,,, par conséquent, dans tous les cas possibles et imaginables où mon souci de moralité est en cause. — Quel qu'en soit l'enjeu, qu'il s'agisse " de péché mortel, ou de péché véniel, ou d'imperfection ,,. Si donc l'évidence ne porte que sur l'imperfection, il n'y a pas de péché; si elle ne porte que sur le péché sans dire s'il est mortel, il n'est pas mortel, il n'est que véniel. — Car " il n'y a que les évidences qui comptent ,,, c'est-à-dire une certitude qui exclue, de fait, tous les doutes possibles, toutes les moindres apparences d'erreur; une certitude calme, pleine, fulgurante comme " deux et deux font quatre ,,; claire à ce point que je me sente disposé sans le moindre scrupule à en faire le serment; à ce point que personne, pas plus que moi, ne fût capable d'en douter. — Et puisque cela seul « compte », je ne dois pas avoir cure du reste. Les *peut-être,* les peurs ne sont pas des évidences; je les méprise, je passe au travers, j'agis *comme s'ils* n'étaient pas ».

« La formule ne s'exprime pas au passé. Elle ne dit pas: " Dans l'acte accompli hier, ou tout à l'heure, ou il y a vingt ans, vous n'avez péché que si vous en avez maintenant l'évidence ,,. Sous cette forme, elle pourrait à la rigueur être inexacte; mais elle est infaillible au présent, et cela suffit: c'est au présent qu'il faut vivre. — Mais, dans ce coin du passé où je ne vois pas clair, dans cet autre que j'ai peut-être oublié, si, de fait,

Hac formula admissa, hoc verificabitur: aut subiectum evidentiam habebit violandi obligationem quandam, malum faciendi, aut non. Si ipse tali evidentia fruitur, eam statim cognoscet, nam proprium est evidentiae, quod non sit possibile eam non cognoscere, atque eam, prouti decet, aestimabit. E contra, si subiectum evidentia caret, tunc, quodcumque ipsum faciat, neque malum, neque imperfectio quaedam est, quin immo aliquid boni est; ait enim Emyeu (1), « vos, vestris impressionibus obsistendo, generose satisfacitis officio vestri status, quem ad sanitatem adducere putatis et vestram veram vitam vivendo et in tuto collocando vestrum desiderium virtutis ».

Sane igitur scribit idem auctor, scrupulosos adloquens (2): « Securi ergo ambulate, quemadmodum ambularetis in aliqua via lata, vel in semitis cujusdam vivarii, si vobis cognitum esset, quod dumtaxat viperae visae et evidentia plene recognita, vos mordere possunt, et hoc quidem sub conditione, quod libere in deliberationem veniatis, vos earum morsibus offerendi. Quoniam hic est vester casus, prouti hoc vobis principium enuntiat. Hoc principium, semel intellectum, fa-

---

j'ai péché, Dieu le sait, lui, même si je doute ou si j'ignore. — Il fait son métier, qui est de savoir; faites le vôtre, qui est, là-dessus, d'ignorer et de vous tenir tranquille. Si vous avez péché c'est fait, nous n'y pouvez plus rien. Sanctifiez le présent. — Mais si je ne suis pas en état de grâce?.... — Le meilleur moyen de vous y mettre est de faire ce que Dieu vos demande ».

« Laissez le passé, qui n'est plus; laissez l'avenir qui n'est pas ancore. C'est le présent seul que vous pouvez moraliser. Quelle qu'ait été votre conduite jusqu'à maintenant, il s'agit de savoir ce que vous avez maintenant à faire pour rester fidèle à votre rêve de beauté morale. La formule vous le dit. Le passé vous impose-t-il à cet égard une tâche, un repentir, une confession, une réparation? L'avenir à préparer vous impose-t-il des précautions à prendre, des obstacles à éviter? La formule vous le dit, ou plutôt vous le dirait ».

(1) *Op. cit.*, pag. 251. (2) *Ibid.*, pag. 251 et sq.

cile est retinere. Duobus verbis continetur: ambulare, salva evidentia » (1).

Advertendum est quod haec formula sufficit, prouti infra videbimus, in omnibus casibus, qui contingere possunt. Nihil autem ei addendum est; ad summum explicari potest, sed non modificari. Ipsa, scribit idem auctor, permanere debet in summo praxis, inviolata, ceteris omnibus imperans, nullis obstricta limitibus, undequaque et semper ultima verba proferens. Aegrotus pro nihilo eam faceret, si ea aliquam reciperet exceptionem, vel si ea formula, differenti uteretur applicatione pro singulis categoriis factorum. Illa formula sufficit pro omnibus casibus; ea unica est. Nulla est praevidenda exceptio, ea absoluta est.

Haec formula nostrum aegrotum a tormento liberat quominus ipse ad se applicet normam generalem.

Re quidem vera, id quod constituit tormentum nostri aegroti est timor ne certitudo acquiratur. Jamvero haec formula in locum necessitatis quod « *quis securus sit* » substituit aliam, quod « *quis securus non sit* »; adeo ut in locum cujusdam actus complexi (qui stat in summitate hierarchiae psychicae) substituit quendam actum simplicem, qui occupat locum quendam inferiorem in hierarchia actuum psychicorum.

Utilitas hujus formulae evidenter ex eo patet, quod ipsa illico interrumpit ruminationes mentales, phaenomena derivativa, ac totam multitudinem agitationum, quae comitantur ideam obsidentem.

Subiectum non amplius debet quaerere certitudinem; amittit ergo occasionem determinandi utrum quaerere debeat certitudinem necne; occasionem amittit recurrendi ad facta, ad obsecrationes, et quolibet motivo caret, quod possit determinare ea phaenomena quae, uti vidimus, comitantur ideam obsessivam.

---

(1) *Op. cit.*, pag. 251

Utilitas, quae exinde consequitur, evidens est. Ante omnia subiectum parce utitur suis energiis psychicis, quae non amplius adhibentur in labore quodam inutili et perituro. Secundo, integra remanente tendentia, quae praefertur (quae constituit *majorem* syllogismi, in quo scrupulus fundatur) obsessio actualis eo venit, ut sensim sine sensu evanescat et ab alia substituatur (1).

Hac formula aegroto tradita, persuasioneque accepta ipsum eam bene intellexisse, nihil faciendum remanet, nisi eum impellamus ad eam applicandam. Primum, conveniens erit, ei, in hanc applicationem incumbenti, auxilium ferre, eique ostendere, non verbis sed re, quid significet evidentia in hoc vel illo ordine rerum; at deinceps, paullatim, aegrotus in eam se consuetudinem adducere debet, pro variis casibus vitae, ut ipse idem formulam applicare valeat, eamque resolvere, nullo adiuvante.

Observandum est quod ab initio aegrotus aliquantum resistit, plures excitando obiectiones; et speciosissimas quidem ipse fingit obiectiones.

Etiam in hoc casu, principium illico applicandum est (2).

---

(1) Sane ad rem scribit EMYEU: « Ad alteram producendam obsessionem opus esset novo quodam principio, nova quadam tendentia dominante, nova quadam inclinatione vitae, quae produci non potest, quia prior est. Fatalis syllogismus, *majori* carens, sustineri non poterit » (*op. cit.*, pag. 265).

(2) Nonnulla adducamus exempla.

« Ego scrupulosus non sum; ego non fui sincerus; ego plura oblitus sum; tu nimia existimatione me prosequeris; ego obscure locutus sum; tu non me intellexisti.... ».

Tum, qui hos infelices dirigit, respondere debet: « Non propter ea, quae tu mihi dixisti, sed propter ea, quae ego scio, quia ego sic volo, do tibi hoc mandatum. Porro tu non obligaris nisi pro eo, cujus evidentiam habes. Exspecta igitur te adepturum esse evidentiam ».

Verumtamen utilitas hujus formulae manifestius apparet ex nonnullis practicis considerationibus, quam ex his theoreticis investigationibus.

Actus, qui magno tormento aegrotis nostris saepius est, est confessio sacramentalis. « Affirmare non possum me omnia confessum esse ». « Affirmare non possum animo forti esse, ita ut omnia peccata mea manifestare valeam »; et alia similia, quae indicant talem molestam conditionem.

In his autem adiunctis, confessarius, applicans formulam, quam supra diximus, ostendere debet non esse necessarium quod scrupulosus poenitens omnia confiteatur. Is ea tantum peccata confiteri debet, quae commisisse, evidentiâ absolutâ, certo scit, seu ea peccata, quae sunt evidenter mortalia, quaeque habent tres conditiones, quae necessario requiruntur ad peccatum mortale, (scilicet requiritur, quod peccatum habeat evidentiam absolutam circa omnes tres conditiones, vel circa unamquamque ipsarum, ac quod numquam manifestatum sit

---

« Sed agitur de fundamento, de initio ex quo est proficiscendum; ergo ego applico hoc principium, super usum hujus principii. Quod circulus vitiosus est! ».

« Circulus vitiosus vel logica hoc viderint. » respondet confessarius « Ad te quod attinet, solummodo evidentiae aestimandae sunt; de quibus persuasionem habere, tua nihil interest; hoc meum est; tibi oboediendum est, his neglectis ».

« At si ego male intelligo, si nimis late hoc principium interpretor? »

« Dumtaxat evidentiae sunt perpendendae. Usque dum evidenter patet, te male intellexisse, nihil timueris. Impossibile est quod tu nimis late interpretaris principium, propter hoc ipsum, quia nihil illud limitat, et quia quaelibet interpretatio non prohibita, bona censetur ».

« Sed nonnullos libros perlegi, nonnullas audivi conciones, in quibus contraria doctrina tradebatur ».

« Non est hoc evidentia quaedam; ac etiam si esset, evidens esset, te non respicere; nam, ad te quod spectat, sicuti tibi dixi, contrarium valet ».

in quadam praecedenti confessione valida). Poenitens accusare tantum ea peccata debet de quibus habet talem evidentiam.

Nunc vero evidens est, quod hoc modo posthabentur omnes illae actiones, quae sunt causa tormenti, quo noster aegrotus afficitur.

Certum est, quod aegrotus noster statim aliquam obiectionem erit allaturus. Sed si examen me falleret? an ego certus sum de evidentia? Responsio valde facilis est. Juxta principium admissum, omne id, quod est dubium, nullius ponderis est; ergo inde consequitur, ut, in hoc casu, subiectum minime obligetur ad confitendam illam culpam, cujus evidentiam adeptus non est.

Et ita porro. Eodem modo evanescunt tormenta in ordine ad Communionem. Exempli gratia. « Certo ne scio me servavisse jeunium? ». Ita se aegrotus interrogat. Interrogatio equidem molesta et indefinita « Sed ego..... » Aut « Pro certo ne habeo, me esse in statu gratiae? » Sufficit respondere: « Tibi, sicuti aegroto,

---

« Sed numquid ego scio, utrum tu retractaveris necne mandatum, tum quum ego illud applicavero? ».

« Si hoc nescies, tu evidentiam non habebis te interdici; porro, tantummodo evidentiae sunt considerandae ».

« Sed forsitan confidentiam in te non habeo ».

« Mea culpa, sed non est evidens, quod ex hoc tu non tenearis oboedientiam praestare ».

« Sed si tibi oboedio, id est quia hoc mihi arridet, et quia principium mihi datum, magis commoditatis affert, quam mea principia. Si principium agnoscerem magis adhuc expeditum, illud ego tibi traderem.

« Sed nescio utrum evidentiam habeam ».

« In hoc casu tu prorsus nullam evidentiam habes. Quum evidentiam habemus, nos eam possidere perfecte scimus ».

« Sed si omni evidentia careo, non amplius ergo obligatione obstringor? »

« Utique nulla amplius adest obligatio; quod ex principio patet: " Tranquillo animo estote, donec haec evidentia reverteatur ,, ».

concessa est dispensatio a jeiunio ». Aut: « Si in statu gratiae non es, hoc statu a communione tu donaberis ».

Aut in ordine ad Sacrificium Missae vel recitationem Divini Officii, si agatur de quodam sacerdote: « Pro certo ne habeo me pronuntiasse verba sacramentalia? ». — Ad hoc respondere sufficit: « Habes ne certitudinem absolutam, te non pronuntiasse verba sacramentalia? ». Aut ad interrogationem: « Certus ne sum me recitasse tale Officii psalmum », sufficit respondere: « Pro certo ne habes te illud omisisse? Habes ne evidentiam absolutam? ».

In utroque casu aegrotus negative respondebit; idcirco is, quieto animo, suo consilio uti potest; difficultas evanescit, quia non habet evidentiam.

Ita, respectu imaginum obscenarum, quae praesertim surgunt propter res sacras, subiectum non debebit seipsum examinare, nam hoc nihil aliud ageret, quam adsociationes imaginum augeret; et, usque dum, evidentia, primo intuitu, sine examine, non videat se commisisse peccatum mortale cogitationis, cum omnibus suis conditionibus plene consummatis (quod probabiliter, quoad eum, nunquam verificabitur) noster aegrotus pro nihilo habere debet imagines obscenas, neque sollicitus esse debet de illis confitendis.

Profecto non desunt difficultates. De nonnullis jam mentionem fecimus, quas aegrotus manifestat sub forma obiectionum. Atque inter difficultates, duae praesertim dignae sunt, quae seorsum considerentur.

Aegrotus pluries respondit: « At ejusmodi regula nimis expedita est...; eam sequi non possum ». Ac, v. g., si agatur de confessione, is ait: « Ego confessionem peragere volo etiam de iis rebus, quarum evidentiam non habeo, quia certitudinem acquirere volo.... ».

Hic loquendi modus, ostendit statum animae nostrorum aegrotorum, vi cujus ipsi nolunt reicere *majorem* syllogismi morali, atque timent ne haec formula detrimentum afferat integritati normae generali.

In his casibus efficere sufficit, ut aegrotus perspiciat quod integritas normae morali, neque laeditur, neque ei minimum damnum infertur, et proinde nihil timere debet, ipsi nihil aliud faciendum est quam oboediat et regulam applicet. Quin imo dicere ei convenit, quod si qua formula facilior extaret, statim ipsi proponeretur.

Majoris difficultatis est casus, in quo aegrotus dicit se in quolibet actu evidentiam perspicere. Evidenter hoc verum non est. Aegrotus ad hoc medium extremum recurrit, quia timet ne tangatur norma moralis, cui ipse adhaeret.

In hoc casu sequendum est consilium, quod Emyeu subicit: In hoc casu, nos opinamur, quod director, qui suum aegrotum cognoscit, quique est moraliter certus de ejus bona voluntate, ei fidenter dicere potest: « Age ergo etiam *contra tuam ipsius evidentiam* ». Etenim non adsunt alia remedia ; et hoc, est bonum.

Nihil metuendum est propter hanc directionem.

Revera vidimus quod hi aegroti, quibusdam impulsibus criminalibus corripiuntur, sed vidimus etiam quod hujusmodi impulsus numquam perveniunt ad executionem (1).

---

(1) Ad propositum, observationem quandam instituit Emyeu. Is narrat de quodam aegroto, cui ipse dederat mandata superius recensita ; iste ei scribebat : « Tu mihi dicere vis, quod ego, carens exercitio libertatis, incapax sum, hoc momento, aliquid peccatum mortale patrare. Equidem, res profecto incredibilis, haec explicatio, quae mei ipsius amorem comprimit, ea una est, quae me tranquillum facit. Quod si ego discrimine careo, et tantummodo utor ea semi-libertate, qua dementes utuntur, Deus hoc inspiciet, neque me judicabit ».

Verumtamen pluries advertere potui factum contrarium. Aegroti animo deficiunt, propter hoc mandatum : « Ergo ne meas quidem actiones in me recipere valeo?... ». Haec conditio deprimens, eos vehementer angit. Tunc necessarium est demonstrare hoc verum non esse; atque solummodo agere de quadam dispositione transitoria.

Finis hujus ordinis est id efficere, ut infelix iste aegrotus levationem quandam cruciatibus inveniat, ac viam nanciscatur relinquendi molestam conditionem, qua afficitur. Atque aliqua obtenta tranquillitate, necesse est ostendere fecunditatem formulae citatae, ejusque efficaciam; manu ducere ipsum aegrotum, ut perspicere possit id, quod formula dare potest, tamquam fructum.

§ 3. — De supprimendis actibus religiosis.

Attamen concedimus quosdam extare casus, in quibus, ne hoc quidem medio adhibito, consequi possumus exitum nobis propositum. Hic est casus in quo uti necesse est remedio praestantissimo; supprimendum est quodlibet religionis exercitium.

Sed etiam in hoc casu prae oculis habere oportet id, quod scribit Raymond, cujus testimonium profecto omni suspicione caret. « Ut mihi videtur, omni ope contendendum esset, ut his impulsionibus sanitas restituatur. Re quidem vera ad sanandum psychastenicum non sufficit supprimere actiones, quae modo imperfecto complentur, et quarum causâ locum habent phaenomena derivativa molesta. Hanc unam suppressionem agere, favet potius morbum eique incrementum dat; et reapse praecipua causa morbi est haec suppressio actuum ad quam morbus naturaliter adducit, in sui evolutione. Scrupulosi religiosi ultro et sponte perveniunt ad completam impossibilitatem cujusque actus religiosi. Non est ergo favendum huic tendentiae.... Uno verbo, scrupulosus religiosus sanus factus non censetur quum non amplius complet actus, qui suum angorem constituunt; sed e contra quum is, eo venit, ut illos compleat sine angore et sine ruminatione mentali (2).

---

(2) *Op. cit.*, Vol. II, pag. 471.

Secundum hoc praescriptum Raymond, qui profecto, uti dixi, omni suspicione in hac materia caret, jubenda est suppressio exercitiorum religionis (1) dumtaxat in casibus extremis, quos superare per medium oboedientiae, impossibile sit; et haec suppressio brevissimi debet esse temporis.

Atque ratio evidens est. Si aegrotum sinimus non superare suas repugnantias, suaque dubia vincere, non aliud nos facimus quam quibusdam infirmis inclinationibus ejus animi faveamus; et tanto magis sanitatem depellimus, quanto magis extollimus et corroboramus ejus dubia.

Effectus hujusmodi temporaneae suppressionis, in casibus gravioribus, est producere quandam interruptionem, quae consolatur, quaeque permittit gradatim procedere methodo, quam supra descripsimus (2).

§ 4. — De effectibus regulae traditae.

Praetermittere non possum quin advertam duo facta quae demonstrant quod formula citata non modo magni aestimatur in se, sed etiam quoad suos effectus.

Resolutio primarum difficultatum est maximae efficaciae. In primis, quia abrumpit cursum ruminationum mentalium, diminuit numerum et varietatem agitatio-

---

(1) Potius quam omnia officia relligionis, bonum est illud tantum supprimere, quod majorem difficultatem nanciscitur in executione.

Ad confessionem quod spectat, nonnumquam sufficit tollere obligationem narrandi peccati, eamque redigere ad simplex consilium, de quo ratio redditur considerando, quod aegrotus in quodam statu versatur, in quo actiones ei non sunt imputandae.

(2) Adhuc ad rem sane observat Emyeu : « Hujusmodi temporanea suppressio solummodo eo pacto est admittenda, ut aegrotus aliquo modo signum det suae bonae voluntatis, atque hac parva dilatione utatur non quidem ad se cruciandum ob suas malas actiones, circa ea quae interim sunt a suis conatibus circumscripta, sed ad se fortiter ab illis eripiendum ». (*Op. cit.*, pag. 291).

num phaenomenorumque derivatorum; sed dein etiam quia ante oculos aegroti ponit absurditates suae ipsius conditionis.

Secundo loco res agere ratione oboedientiae (v. g., recipere Eucharistiam, sacramentaliter confiteri) victoria quaedam est, et quidem non parvi momenti, quae paullatim fugat et diluit obiectiones, quae in anima exsurgunt (1).

Paullatim, his solis mediis simplicibus adhibitis, tranquillitas (2) in animo diffunditur, vita fit simplex, difficultates minuuntur, et statim, usque a primis effectibus, aegroti exclamationes hujus generis proferunt: « Quam facile erat sanum ex hoc morbo fieri! neque tamen, tot annos, ex eo me relaxare potui! Tot per annos, mei confessarii, me cruciatu affecerunt, et seipsos excruciaverunt, et numquam mihi dicere valuerunt rem tam facilem esse..... Breviter inteliexi quod usque dum pro certo aliquid habuerim, quemadmodum didici quot bis bina sint, confessionem de mei admissis instituere non debeo.....; usque dum adeptus non fuerim evidentiam absolutam, aliquem actum omittere non possum..... Id omne facile equidem est, valde facile; atque mirum est, quod, usque nunc, nemo mihi hoc suggerere sciverit ».

§ 5. — De morali rectitudine formulae propositae.

Est ne recta censenda hujusmodi formula si sub aspectu morali judicetur? Evidens est, quod de ea judicandum est, etiam sub hoc aspectu; secus enim ea

(1) In propositum infra notabimus quomodo una et mente et voce consentiant psychologi et theologi de consulenda cura circa ideas obsessivas. Hujusmodi consensio magni ponderis est, et illud efficit ut pluris aestimentur consilia hic tradita.

(2) Prouti intelligitur, mens mea est loqui dumtaxat de iis, qui scrupulis circa res religiosas afficiuntur.

esset illegitima neque applicari posset. In propositum considerandum est, quod scrupulosus malum in omnibus rebus perspicit. Par igitur est, quod malum videat etiam ubi non est ; hac profecto differentia, quod ubi malum reapse non est, scrupulosus suis angitur dubitationibus et incapax est certitudinis adipiscendae, dum e contrario ubi malum reapse existit, subiectum non amplius suis dubiis torquetur, et illico evidentia manifestatur. Ille ergo suam normam servat ad distinguendum malum reale a malo simulato, et proinde, applicando citatam formulam, dumtaxat id evitat, quod est malum reale. Atque hoc sufficit ut approbare possimus formulam, quae exposuimus.

Sed fortasse dices. Possunt dari casus, in quibus evenit aliquid mali, cujus scrupulosus non habet evidentiam. Tibi consentio; sed evidens est, quod mens confessarii, qui scrupuloso normam vitae impertitur, non est consulere omnibus casibus, qui contingere possunt ; et quoquo modo culpâ dignus non est scrupulosus, qui tantummodo oboedire debet. Si ergo aliquando contingat quod malum quoddam existat, cujus scrupulosus non habet evidentiam, ipse suo jure utitur illud neglegendo ; atque malum pure materiale, ejus conscientiam non tangit.

In hoc casu obligatio realis non est promulgata modo quo convenit ; ergo scrupulosus eam observare non tenebatur. Quemadmodum plerisque hominibus impossibile esset officium complere, si officium obstringeret extra certitudinem moralem obligationis, sic scrupuloso impossibile esset officium complere, si illud eum obligaret extra evidentiam (1). Prius est esse, prius necessarium est introire in vitam, et, prouti aiebat P. Faber, via vitae non data est hominibus ut dementes fiant.

---

(1) Cfr. : Emyeu, *op. cit.*, pag. 253.

Principium igitur est juris naturalis pro scrupuloso; imo etiam dici potest illud esse ab jure positivo confirmatum. Moralistae omnes et confessarii, eodem modo, etsi sub diversis formulis, jam diu illud applicant. Ecclesia non potuisset hanc praxim tolerare si eam reprobatione dignam reputasset. Ejus silentium perinde est ac ejus approbatio; et auctoritas ipsa, quae, scrupuloso credenti imperat praecipua officia, fidem praestat de principio, quod pro scrupuloso rigorem attenuat.

Exinde consequitur, quod nulla adest ratio, ut immoralitatis accusemus illud principium. Ipsum respondet juribus, quibus scrupulosus fruitur. At, sic hoc principium constituit quoddam jus scrupulosi, fit etiam ejus officium, quando ejus director ei illud imperat, propterea quod est medium ad oboedientiam praestandam; oboedientia, prouti vidimus, est unicum medium ad sanitatem adipiscendam.

§ 6. — Conclusio.

Ex quo igitur aliquid colligi potest. Methodus, quae adhibenda est in curandis scrupulosis, recognoscere debet id, quod docet theoria pathogenetica, qua usi sumus ad explicandum scrupulum in sua origine et natura. Haec nos docuit scrupulum derivare ex quodam defectu aequilibrii inter tensionem psychicam, qua aegrotus corripitur, et illam, quae ei necessaria est, ut vitam ducere possit, ad necessitates circumstantiarum accommodatam. Hinc primum curandum est ut simplices reddantur actus, ut dein faciliores evadant; quod fit, prouti in praesenti capite vidimus, adhibendo formulam, quam didicimus. Itaque obtineri potest accomodatio temporanea psychastenici ad realitatem.

At nondum satis. Necessarium quoque est aliquid facere, quod, modo perenni, fidem de sanitate obtinenda praestet; quod consequi possumus, solummodo per ea media, quae extollunt tensionem psychicam. Quomodo hoc obtineatur mea mens est demonstrare in capite sequenti.

Caput undecimum.

De cura morali scrupulosorum.

DE MEDIIS ADHIBENDIS PRO EXTOLLENDA TENSIONE PSYCHICA SCRUPULOSORUM.

1. *Introductio.* — De necessitate extollendi tensionem psychicam. — Duplex ordo conditionum, quae super tensionem psychicam agunt.
2. *De conditionibus, quae parce uti energia psychica permittunt.* — Surmenage physicum. — Surmenage psychicum. — Surmenage derivans ex ruminationibus mentalibus. — Sensus. — Quaenam media ad effectus damnosos impediendos.
3. *De conditionibus excitantibus.* — De necessitate provocandi conatus, vi quorum obtineri possit accomodatio ad realitatem. — Regulae sequendae in his conatibus provocandis. — Conatus psychici. — De labore ac de ejus efficacia. — De emotionum educatione. — Conclusio.
4. *De vita religiosa scrupulosi.* — Efficacia therapeutica religionis. — Qua de ratione non sunt prohibendi actus religiosi. — Mutua psychiatriae et asceticae concordia in regulis praescribendis.

§. 1. — Introductio.

Curatio scrupulosorum minime est restringenda ad supprimendas difficultates, quae exurgunt causâ ideae obsidentis. Hujusmodi suppressio, ultimatim, parvi est momenti; atque si nos hanc vel illam supprimere valemus ideam obsidentem, subiectum facile, et mox quidem, in ejus locum, alteram similem reponit. Ergo successus tantum partialis est. Ut reapse aegrotum ad sanitatem adducere valeamus, et a radicibus morbum

evertere possimus, modificamur necesse est statum psychicum aegroti, seu necesse est ut aegrotus iterum invenire discat functionem realitatis, quoniam, uti vidimus, in amissione hujus functionis proprie consistit factum fundamentale status scrupulosi (cfr: *cap.* VI, Conclusiones, *pag.* 212 et sq.).

Et, quoniam amissio hujus functionis est effectus depressionis tensionis psychicae, ergo ut aegrotus assequi valeat sanitatem, necesse est majorem reddere seu extollere tensionem psychicam, sed, mala fortuna, nos usque nunc nescimus directe extollere hanc tensionem; nos, ad summum, nonnullas cognoscimus conditiones, quae favorabiliter agunt super tensionem psychicam eam indirecte extollendo. Curatio ergo tendere debet ad reducendum in actu has conditiones.

Hae conditiones sunt duplicis speciei: aliae illae sunt, quarum causâ subiectum non abutitur energia psychica, quam ipse in usu habet; aliae illae sunt quae agunt minus indirecte, quam priores, et agunt tamquam conditiones excitantes.

Priores vocari possunt: *conditiones quae permittunt parce uti energia psychica*; alterae: *conditiones excitantes.*

§ 2. — De conditionibus, quae parce uti energia psychica permittunt.

De his conditionibus paucis est dicendum, cum de eis jam dictum sit, quum sermo fuit de conditionibus generalibus adhibendis in scrupulis curandis (1).

Illae summatim sic perstringi possunt: evitare id, quod vulgo vocatur *surmenage.*

Non est magni momenti *surmenage physicum;* attamen numquam e memoria excidat quietem physicham esse conditionem quandam necessariam, cujus cura ne-

(1) Cfr. supra: Cap. IX, p. 273 et sq. Cap. X, p. 295 et sq.

gligenda minime est. Quies autem non idem significat ac immobilitas. Quies significat opus satis frequenter mutare, opus intermittere priusquam nos labor defatiget, seu impedire quominus organismus laboribus conficiatur, sed minime significat quietem in sua absoluta et stricta significatione acceptam. Nonnulli auctores subicere voluerunt hos aegrotantes quieti absolutae in lecto. Sed in mentem revocandum est quod supra dixi (1), videlicet quod quies absoluta valde periculosa est nostris aegroti, quia ipsa eos procliviores facit ad illos homines fugendos, quorum familiaritate amplius uti nesciunt. Quamobrem ejusmodi quies eo venit ut extollat, potiusquam attenuet phaenomena (praesertim derivativa) quae aegrotus exhibet.

Generatim praeferendus est — prouti infra videbimus — labor tranquillus, variatus, ex quo delectationem ac utilitatem recipimus, qui non modo mentem, sed corpus quoque (indirecte) reficit (2).

---

(1) Cfr. supra : Cap. IX, pag. 260 sq.

(2) Sic dictae distractiones, veluti peregrinationes suscipere, non dant quietem, quia *illae aegroto minime curae sunt.*

Nonnulli auctores eo perveniunt ut praescribant hos aegrotos segregare in nosocomiis. Haec est quaestio, de qua, magna contentione, inter se agunt cultores scientiae psychiatricae. Quacumque omissa disputatione, quum hic sit a scopo aliena, quae mihi videntur exponam. Ad psychastenicos quod spectat, raro admodum est necessarium eos commercio hominum frui vetare. Generatim ad hoc recurrendum est, quando alia media deficiunt. Sed plerisque in casibus melius est psychastenicum sinere occupatum, inter homines, vitam ducere. Solummodo sub hac conditione fieri potest ut in ipsum exerceamus illam actionem excitantem, quae sanationem producit.

Unde ad me quod pertinet — ut plurimum — potius damnosum quam utile videtur eos a ceteris hominibus in nosocomiis segregare et praesertim praescribendo ut ipsi vitam degant in illis nosocomiis, quae vulgo « *case di cura* » vocantur.

Ex contrario valde utile est variam et mutabilem ducere vitam, adeo ut aegrotus subtrahatur a subeundis excitationibus

Magis interest evitare *surmenage intellectuale* quo, variis de causis, affici potest scrupulosus. Ad rem magis declarandam nonnulla adducamus exempla.

Jam notavimus quomodo in scrupuloso habeatur duplicitas personalitatis seu conscientiae. Nimirum in scrupuloso alter adest, qui ideis obsidentibus vexatur, quibusque vehementissime torquetur, et alter, qui perspicit, quam sit ridiculum ita agere. Jamvero haec duplicitas personalitatis importat dispendium energiae psychicae. Convenit igitur subiectum conatum complere ad se ipsum in hoc vincendum, et ad statum vitandum, qui producit depressionem tensionis psychicae.

Neque est minoris momenti *surmenage* proveniens ex facto quod subiectum diu cruciabatur ruminationibus mentalibus. Hoc efficit ut auferatur unitas personalitatis et imminuatur tensio psychica. Igitur ad evitandum hoc *surmenage* nihil aliud esset faciendum nisi has interrumperemus ruminationes. At quidem aegrotus numquam voluntarie interrumpere poterit suas longissimas meditationes nisi quum sanitatem consecutus fuerit. Magnae ergo utilitati erit aegrotum jubere ut cogitet suas ruminationes fructum esse cujusdam morbi, quando

---

obiectorum habitualium, quae in ipso provocant explosionem obsessionis.

In mente revocandum est quod, si quandoque fiat stricte necessarium aegrotus in nosocomiis segregare, nequaquam removendum est ab eo auxilium sacerdotis. Pro scrupulosis, *auxilium sacerdotis est semper absolutae necessitatis.* Medicus auctoritate caret ut aegrotos impellat ad spernenda dubia, quae conscientiam vexant. Ille id consequi posset tantummodo aggrediendo curam moralem, quae scrupulosos sollicitat, sed hoc medicus non facit unquam. Nec potest semper facere. Aliunde vero scimus, quod medicus supprimendo ideam obsidentem actualem, numquam supprimeret obsessionem; et locum veteris obsessionis altera occuparet. Ex adverso mutuum auxilium sacerdotis et medici est maximae utilitatis, et utinam hoc frequentius eveniret.

in decursu suarum ruminationum morae momento frui possit. « Meus confessarius, meus medicus, mihi dixerunt has omnes ruminationes nihil aliud esse nisi fructus meae mentis aegrotantis; idcirco inutile est quod ego de iis cogitare pergam ».

Ita producere possem enumerationem factorum, quae concurrunt ad constituendum *surmenage* intellectuale. At forsitan sufficiens erit recolligere omnes normas respicientes *surmenage intellectuale* sequenti propositione: subiectum in singula temporis momenta vivere debet, quin sollicitum sit *de transacto* vel *de futuro*. Illud unice et tantummodo sollicitum esse debet *de tempore praesenti;* hoc enim tantum illius interest (1).

Alia causa hujus excessivae debilitationis (*surmenage*) quae est accurate vitanda, sunt *sensus* (*i sentimenti*).

Inferius dicemus de efficacia, quam exercet in his aegrotis educatio sensus et emotionis; verum jam nunc nonnullas normas innuere possumus.

Evitanda sunt sensus tristes, melancholici, angores, demissiones et abiectiones animi, etc. Quae omnia nihil aliud efficiunt nisi ut alant defectum aequilibri psychici et proinde depressionem tensionis psychicae (2).

---

(1) Ex contrario, uti vidimus, scrupulosus vivit exclusive *in praesenti* (hoc vel illud facere), aut *in futuro* (veluti hoc vel illud factum iri etc.). Idcirco, ad superandos hos rerum status, est maximi momenti labor, qui cordi est, occupatio quae ad se attrahit attentionem, etc. sicut infra videbimus.

(2) Praeterea scribit EMYEU : « Mais ils sont, en plus, une capitulation, une acceptation lâche du fait accompli, une absence de courage, le mot le dit: un dé-couragement, un abandon de soi, une détente du ressort vital, de la puissance unifiante. Des lors, on devine le résultat; les tendances tiraient en sens contraires; c'est la conscience de ce fait qui a créé le sentiment; mais le fait, étant subi sans résistance, les tendances continuent à di-

Etiam sensus grati acceptique sunt deprimentes, si in his consistamus veluti in termino quodam. Homo non est creatus ut in quodam statu consistat, sed ut agat. Si id quod est medium pro fine suscipimus, eo venimus ut inutiliter vires nostras profundamus perdamusque. Plerisque in casibus hae variae formae, quas exhibet sic dictum « *surmenage* » sive physicum, sive intellectuale, sive emotivum una simul cumulantur, et tunc therapia suos conatus dirigere debet contra quendam statum generalem, in quo hae tres formae adsociantur.

§ 3. — De conditionibus excitantibus.

In capitibus praecedentibus demonstravimus scrupulum procedere ex quadam insufficientia (hereditaria vel acquisita) functionum psychicarum superiorum accommodationis ad realitatem. Energia, qua individuum utitur, non amplius sufficit pro omnibus necessitatibus, et inde consequitur in omnibus operationibus mentalibus debilitatio quaedam, quae ducit ad dubitationem, ad obsessionem, ad angorem (pag. 150 et sq.). Atque vidimus quod, dum pro scrupuloso curando necesse esset, ultimatim, majorem reddere hanc tensionem psychicam, qua individuum utitur, nos tamen mediis directis (pag. 296 et sq.) pro extollenda hac tensione minime fruimur; attamen medio quodam indirecto utimur, quod consistit in determinandis illis conditionibus, quae favorabiliter agunt in tensionem psychicam.

Hujusmodi conditiones sunt duplicis speciei; *a*) eae quae respiciunt compendium energiae psychicae, vel

---

verger, chacune suivant sa pente, rompant de plus en plus l'unité et dissipant le capital de vie. La vie organique elle-même s'y défait et s'y épuise: les échanges se ralentissent, les déchets mal éliminés s'accumulent, la coordination, l'unité entre les diverses fonctions, s'affaiblit. En un mot, la vie s'en va » (*loc. cit.*, pag. 321 et sq.).

conditiones negativae; eae quae aegroto permittunt parce uti energia psychica; et *b*) *conditiones excitantes* vel *positivae*.

De prima specie jam diximus in praecedenti paragrapho, nunc de altera.

Ut intelligatur quaenam sit natura harum conditionum, adhuc aliquid revocandum est de natura morborum, quibus studemus.

Pluries jam notavimus, quod in nostris aegrotis magis functiones, quam organa laesa habentur; morbus scrupulorum non est morbus, vi cujus lesae evadant facultatates psychicae, sed est morbus functionalis. Aegrotus noster capax est ratiocinandi, sed concludendi minime, cupiendi, sed non consilium capiendi, agendi in intimo sui ipsius animi, at minime in publico. Scilicet vis vitalis, prouti sane bene ait Janet (1), non semper scrupuloso sufficiens est pro eo agendo, quod sibi proposuit, atque activitas functionalis saepe numero plenitudine, constantia, accommodatione caret. Accommodatio ad realitatem saepe fuit incompleta, et ita evolutio, quae consuetudinem gignere debuisset, dilationem passa est. Necessitates se evolverunt celerius quam aptitudines. Educatio psychica, evolutio personalis nondum pervenit, prouti eloquuntur gallici « *au point* » (2).

In his ergo aegrotis curandis oportet evolvere hanc accommodationem, provocare activitatem, quae informet, iterumque instituat, quaeque reficiat aut compleat accomodationem. Quod assequimur, nostros aegrotos cogendo *ut omni ope diversimode contendant adipisci accomodationem ad realitatem.* Id eo venit, ut extollat, mediante exercitio, tensionem psychicam. Et quoniam conatus nihil aliud est nisi explicatio voluntaria

(1) JANET, *Les Névroses,* pag. 383.
(2) RAYMOND, *Les Obsessions,* pag. 733 et sqq.

cujusdam activitatis per se integra, sed minime capax se applicandi in istis vel illis circumstantiis, intelligitur quomodo hujusmodi educatio conatus, quomodo hujusmodi exercitium semel atque iterum et methodice peractum, eo veniat, ut paullatim determinet elevationem quandam tensionis psychicae.

Verum dicamus oportet *quomodo sint dirigendi hujuscemodi conatus.*

Ante omnia non est subiectum impellendum ut directe cum sua falsa idea conflictetur. Hoc pluries sacerdotes medicosque facere vidimus. Id nihil aliud efficit, nisi ut morbum exaggeret, et praesertim ruminationes mentales.

Insuper advertendum est ne aegrotus perficiat conatus falsos, steriles; isti enim nihil aliud obtinent nisi adaugeant phaenomena derivativa. Ad hoc evitandum, subiectum perficiat necesse est conatus quosvis, sed qui extra obiectum ordinarium ejus meditationum sint, hoc solo fine sibi proposito, ut nempe quam plurimum ad realitatem accedere valeat.

Equidem in hujusmodi conatu posita est illa conditio, in qua diximus consistere medium praecipuum curationis.

Sed obiicies: quomodo provocari potest conatus in quodam aegroto, quando voluntas personalis aegrotantis nullam exercet actionem in phaenomena morbosa, quibus aegrotus afficitur? Contra hanc obiectionem observandum est, quod verbis nimium rem augerunt nonnulli medici, qui dixerunt phaenomena, quae scrupulosi exhibent (quedmodum in genere phaenomena eorum omnium, qui obsessionibus vexantur) talia esse, ut ipsis nulla vi resisti possit. Hi aegroti suis obsessionibus magis imperare valent quam fert communis opinio. Procul dubio ipsi sibi magis imperant, quam

alii aegroti nevrosi affecti, veluti sunt hysterici in quibus habentur valde plura facta automatica (1).

Ergo obiectio est nullius momenti.

Non est autem aegrotus suo ipsius arbitrio committendus ut conatus agat. Conatus continuo est dirigendus et excitandus (2). Praeterea recordandum est

---

(1) Nos, quum studuimus fluctuationibus gradus mentalis (cfr. supra, Cap. V, pag. 150), jam vidimus hunc notabilem influxum conatuum voluntatis et attentionis. Igitur nihil aliud est faciendum nisi ut hic influxus pro cura adhibeatur.

(2) Non semper idem accidit. Plures auctores memorant casus, fortunatos equidem, sed nimis raros, in quibus, ad consequendam sanitatem satis fuit ut aegrotus intelligeret in quo consisteret suus morbus, et quomodo ipse adipisci posset sanitatem. Janet et Raymond, v. g., referunt sequentem casum, magni quidem momenti. (*Psychonévroses et obsessions,* pag. 733, vol. I).

Agebatur de quodam juvene, annorum viginti, qui plus quam tres anni erant ex quo vexabatur scrupulis circa organa generationis. Cogitatione excruciatus circa organa generationis, haec videre cogitabat in omnibus viris et in omnibus mulieribus; mente concipiebat se factis obscoenis adesse etiam in sui ipsius familia, adeo ut patrem matremque horreret. Sua organa genitalia perhorrebat, ea tanti voluminis et adeo foetentia ipsi videbantur, ut omnes ipsum monere debuissent; ipse paullatim acquisierat quandam multitudinem τῶν *tics*, quae primo finem sibi proposuerant dissimulandi organa generationis, quaeque determinaverant contorsiones quasdam perpetuas trunci et brachiorum.

Ei interroganti medicus explanavit quid ipse de morbo cogitaret, quodnam esset probabile initium morbi, videlicet defectus energiae quoad attentionem et voluntatem, amissio contactus cum realitate, sic dicta *rêverie*, ruminatio, inquietudo, etc.; eique explanavit quomodo exurgebant angores et dubia.

Re breviter perpensa, aegrotus dixit: « Jamdiu dubitabam num ita esset, sed eo veni ut hanc ideam abijcerem, quoniam semel atque iterum mihi dictum est me esse nevrasthenicum, et insuper etiam quia haec explicatio meorum malorum me jussisset molestos complere conatus. Hic aegrotus, anno transacto, sic allocutus est suum medicum: « Postquam te adivi, sanitatem consequi volui laboribusque incubui; id equidem arduum fuit, sed ad

non esse nimis velociter procedendum. Aegrotus noster, est quidam vir debilis, qui pergere nescit. Lente igitur est procedendum. Nisi ita agatur, periculum adest ne, ex hoc quod conatus ad exitum suum non adducitur, exurgant nova phaenomena derivativa, vel ne augescat intensitas phaenomenorum jam existentium. Id hujusmodi esset, ut exinde exurgeret animi demissio cum omnibus suis consectariis, nec non periculum ne morbus ingravesceret.

Conatus ergo metiendi sunt, ut ita dicam, juxta capacitatem, qua aegrotus utitur ad nos sequendos.

Et ratio est quia in tantum conatus bonos exitus sortiuntur, in quantum aegrotus animi confirmationem recipit ex eo quod ejus conatus ad effectum adducuntur. Veluti si quempiam, scrupulis affectum circa determinatum et certum ordinem peccatorum, nos jubemus non amplius cogitare de tali peccato, nos eum aliquid facere jubemus, quod ipse numquam exequi poterit. Iste scrupulosus conatus capere perget, propterea quod nos eum jussimus Communionem recipere et omni ope contendet, ut sibi persuadeat jure meritoque confessarium ita jubere, quoniam ipse non commisit illud peccatum, cujus ideâ tam vehementer vexatur; at conatus permanebit inefficax, quinimmo determinabit phaenomena derivativa (*tics*, ruminationes, obsecrationes, vota falsa) quae, uti vidimus, sunt experimenta inefficacia ad superandam difficultatem. Aegrotus ergo manebit ad realitatem minime accommodatus, incapax vitae degendae in illis determinatis conditionibus particularibus (uti sunt exercitia religionis).

---

spem eventus respondit, et plus quam sex menses sunt ex quo minime amplius cogito de illis stultis ideis, quae olim me torquebant ».

Exemplum allatum demonstrat non semper directionem continuam necessariam esse; verum casus hujusce generis sunt quidem casus excepti.

Ex adverso si aegrotum jubemus conatum capere nullo modo ejus obsessionem respicientem, iste aegrotus, qui antea se sentiebat minime ad realitatem accommodatum, molestiâ ob suum statum affectum, speque omni deiectum, animum eriget ex hoc quod percipiet se quoque ad aliquid agendum aptum esse. Et gradatim eum adducere possumus, ut conatus efficaces complere valeat etiam respectu suarum phobiarum religiosarum. Exitus conatus parvi momenti id praeparat, et ita ut possibilis evadat conatus respectu actus difficilioris et majoris momenti.

Juvat hic repetere observationem quam supra (cfr. caput IX pag. 291-292) institui.

Praescriptiones nostris aegrotis impertiendae, esse debent admodum nitidae, positivae. Id etiam valet pro conatibus ab aegrotis complendis. « Illa hora.... », « .... tali modo age.... ». Aegrotus innixus in energia, qua utitur is qui jubet, id complet, quod aliter numquam facere potuisset.

Non tamen aegrotus est suo arbitrio relinquendus; neque permittere debemus ut aegrotus ipsemet determinet conatus, quos complere debet. Ipse enim eo veniret ut sibi multitudinem infinitam rerum agendarum imponeret, quarum nullam ad exitum adducere valeret.

Melius est deligere consuetudinem vitae, quam aegrotus ingressurus erit, quaeque sit satis severa, ne eum sinamus id facere, quod ejus arbitrium dictat, satis lata, ne ipse novas inveniat rationes dubitandi, seseque torquendi.

Haec vitae consuetudo eo venit ut simpliciores reddat actiones, et faciliorem et praesertim magis continuum reddat conatum.

Ubi autem normam vitae pro aegroto determinavimus (respectu habitu ad ejus conditiones sociales, familiares, etc.) perfecta oboedientia exigenda est, necnon

exigere debemus ut aegrotus frequenter rationem reddat de defectibus admissis.

Nunc videamus quinam sint conatus, quos aegrotus complere debet.

Primo loco inveniuntur *conatus physici*. Conatus, qui vi cujusdam exercitii peragitur, est maximi momenti, ait Janet (1); quatuor aegrotantes, quos citatus auctor curavit, sanitatem adepti sunt dum militiae vacabant, sive propter exercitia sive propter disciplinam militarem.

Hujusmodi conatus variari et deligi casu possunt, ita agendo ut hic quoque conatum metiamur, ne obtineatur illa excessiva defatigatio, quae admodum timenda est.

Nonnulli auctores his physicis exercitiis tribuunt influxum quendam directum ; sed naturam morbi consideranti evidenter apparet influxum esse omnino psychicum. Et effectus psychicus non consistit in distractione, prouti nonnulli opinantur, sed in eo, quod etiam ad complendum exercitium quoddam, requiritur quidam conatus psychicus.

Referam casum typicum, quem egomet inspexi. Erat quidam, qui suos actus interrumpebat cum quodam gestu typico, veluti *tic*. Is cogitabat se torqueri a tentatione immunda causâ peccatorum praecedentium. Quotiescumque tentatio eum aggrediebatur, ipse actum quendam peragebat veluti si quempiam expelleret (daemonium qui eum tentabat) vel clam signum crucis faciebat. Exinde sequebatur ejus actus ex his gestibus interrumpi. Verumtamen hujusmodi gestus paullatim eo veniebant, ut incomprehensibiles evaderent. Itaque curiosum equidem erat eum inspicere accedentem ad sacratissimam Eucharistiam. Continuo gestu utebatur, gradum faciebat, et ad singula vestigia resistebat, ad

(1) *Les Obsessions et la Psychasténie*, pag. 733 et ss.

sacerdotem accedebat et statim ab eo digrediebatur, sive signum crucis faciendo, sive manibus invisibilem hostem expellendo. Hujusmodi *tics* ad sanitatem adduxi jubendo aegrotum complere omnes suos actus, omnesque motus (sive crurum sive brachiorum) cum lentitudine, sed cum praecisione; videlicet sanationem consequutus sum per exercitium motuum communium tum brachiorum tum crurum.

Si obiectum quoddam ab ipso capiendum erat, meditari debebat quomodo actus esset perficiendus. Consilium inire, et inde illud adimplere sine ulla haesitatione et deviatione. Hic conatus gradatim illum ad sanitatem adduxit. Igitur (et hoc valet etiam pro casibus minus extremis quam casus de quo mentionem fecimus) conatus physicus efficax est, quatenus supponit et requirit conatum quendam psychicum.

Videamus quinam ergo sint *conatus psychici.*

Primus conatus imponi potest jubendo aegrotos sibi conscios esse actuum libere peractorum, veluti admovere brachium, crus, perspicere obiectum quoddam, etc. Si imponantur exercitia hujus generis, quae fieri debeant per aliquam diei partem, hora determinata, excitatur conscientia, quae in scrupuloso sopita manet. Haec excitatio est initium accommadationis ad realitatem. Quod obtinetur per actus voluntarios. Non tantum interest quod fieri jubetur, quantum interest ut aegrotus agat et quidem id quod facere jubetur (1).

Exempli gratia: aegrotus ad certam horam perficere debet illud exercitium gymnicum. Cultores psychotherapiae valde variarunt hujusmodi exercitia, et de-

---

(1) Hujuscemodi consilia excepi ex optimis de psychotherapia commentariis quae superius citavi. Consilia vero a me data, experiendo didici reapse efficacia esse in casibus, quos examini ego subieci.

monstrare voluerunt hoc esse illo praestantius. Mihi omnes actus boni videntur, dummodo ne sint implexi.

Quod interest id est ut, in imponendis conatibus voluntariis prae oculis habeatur obtinere applicationem attentionis aegroti ad exercitium, quod ei imponitur. Maximi equidem momenti est attentio, quia ipsa activitatem conscientiae compellit super conditionem realitatis (1).

Medium magis idoneum ad eam obtinendam in eo consistit ut aegroto laborem quendam imponamus. Profecto ad attentionem provocandam, eligendus est labor magni momenti non quidem in se, sed relate ad subiectum in illis determinatis circumstantiis. Dumtaxat hoc modo labor esse vel fieri potest magni momenti pro aegroto. Insuper debet esse difficilis, quoniam dumtaxat hoc modo attentio persistere potest; non ita tamen difficilis sit ut aegrotus nullum obtinere valeat successum, vel laboribus defatigatus consistat. Provocatio attentionis ad hoc tendit, ut obtineatur quidam conatus psychicus singularis, et una simul exercitium activitatis psychicae et ejus tensionis elevatio. Ad hoc obtinendum eligendus est labor qui habeat valorem moralem, et ideo talis, ut gravis seriusque sit.

Exercitium pure physicum qui non habeat valorem quendam moralem, et qui proinde attentionem non excitet, valet solummodo primis diebus curae. Conatus requisiti ad exercitium pure physicum tantum primos praebent successus tunc quum aegrotus novit se esse capacem aliquid agendi; sed simul ac aegrotus bene progressus fecerit in suis conatibus, tunc hi substituendi

---

(1) Uti pluries in capitibus praecedentibus observavi, defectus attentionis in hoc morbo est maximi momenti; contra eam igitur dirigendi sunt aegroti conatus.

sunt cum aliquo labore valorem moralem habente, ne actus fiant mechanici et automatici, quo in casu nullum conatum amplius requirerent.

Ita plures studiosi auctores observarunt influxum laboris remuneratorii; ita plures auctores notarunt utilitatem committendi aegrotos (qui amiserunt quamlibet fiduciam in vita, quique non amplius laborant) labori propriae artis. Veluti si efficiamus ut aegroti nostri, aliquid, labore, lucrifaciant, obtinere possumus excitationem quandam singularem in voluntate.

Praeterea labor efficit ut animus nostri aegroti tranquilletur; quod aegroti ipsi confirmant. Quando ipsi laborant vel alicui rei vehementer operam dant, tormentorum immemores fiunt, et sibi ipsi videntur sicut ceteri homines. A lateribus aegroti, hunc conatum peragentis, numquam aut director aut confessarius aut medicus discedere debet. Paucis diebus postquam munus aliquod obeundum aegroto praescripsimus, accurate exquirendum est quomodo et quantum laboris aegrotus adimpleverit atque necesse est obiurgare aut animum erigere prouti fert occasio, magis magisque excitare adeo, ut attentio aegroti semper intenta maneat. Ita agendo si morbus est levis, subiectum gradatim fit sui ipsius dominum, se conatui assuefacit, et tensio psychica extollitur. Depressio gradus tensionis illico evanescit et una simul discedunt agitationes et obsessiones.

Quod si ex adverso morbus est constitutionalis et gravis, tunc necesse est continenter aegrotum excitare, ejus attentionem conatumque stimulare adeo, ut conservet gradum elatum, qui prope ad realitatem accedat.

Postquam hoc consequuti sumus, illi actus jubendi sunt, quos vidimus requirere maximam difficultatem, nempe actus sociales. Itaque requirere possumus conatum ad Eucharistiam recipiendam, ad orandum, ad jeiunandum, ad exercitia religiosa cujusvis generis per-

ficienda, necnon ad quamlibet actionem moralem complendam (1).

Breviter ex his quae diximus plane apparet, quod necesse est per medium laboris compellere attentionem aegroti super realitatem, et ab eo quendam determinatum conatum obtinere ita ut ipse, hoc conatu peracto, se accommodet ad realitatem (2).

Conditio quaedam quae favorabiliter agit in statum nostrorum aegrotorum, quamque proinde arte reproducere convenit, datur *ex emotione.*

---

(1) Profecto ex parte aegrotantium nunquam obiectiones desunt. Proinde sciamus oportet praemuniti obiectis difficultatibus respondere. Ipsi dicent: nobis nullus labor suavitatem afferre videtur; ipsi sunt vivendi inter homines taedio correpti; omnia ipsis videntur ejusdem insulsitatis plena. In hoc casu dicendum est: « Hoc facite, veluti si vobis cordi esset ». Reapse minime verum est quod illa res cordi nostris aegrotis non sit, sed hoc verum est, quod ipsi *non volunt* de illa re curam habere. Exinde consequitur quod conatus beneficus, quamtumvis tenuis, hoc in modo requisitus, efficiat ut paullatim exurgat id quod interest.

(2) Janet advertit quod successus habiti per multas methodos sic dictas *specificas*, ultimatim referuntur ad id, quod ipsae requirunt praecise hunc conatum.

Veluti ii, qui in opinione sunt aegrotum sanare *per medium suggestionis,* subiectum jubent, aliquandiu, tenere quandam determinatam positionem. Id, idem est ac in unum compellere attentionem conatumque voluntatis.

Eodem modo opinor interpretandum esse id, quod dicunt alii auctores, nimirum quod scrupulosi sanitatem consequi possint *mediante arte gymnica,* quae in usu est apud Suebos.

Sanatio illorum motuum typicorum, quos medici *tics* vocant, habita *per motus ordinatos,* ad tempus, profecto interpretanda est ex eo, quod attentio et conatus voluntatis in unum contrahuntur, atque hujusmodi conatus eo vehementiores sunt, quo magis aegrotus animo cogitat actus magni momenti complere.

Itineres et distractiones, ad quae plures medici hortantur, quandoque bonam quandam efficaciam exercent ex eo, quod attentionem excitant. Verumtamen observandum est, quod psycha-

Jam pluries, data occasione, mentionem feci (1) quomodo sensus exerceant in psychastenico officium quoddam nefastum, quatenus adaugent amissionem energiae utilis. Ita v. g., sensus tristes, — taedium, melancholia, animi demissio, depressio moralis — vim nefastam habent, quatenus destruunt individui unitatem, ejusque tensionem vitale diminuunt.

Neque sunt minus deprimentes sensus grati. Id intelligitur, propterea quod ipsi sunt pure passivi.

Majoris gravitatis est influxus emotionis; haec praesertim est damnosa, quando est nimis viva, nimis aspera, nimis frequens, et plus etiam quando est anormalis, et proportione destituta. In hoc casu habetur verum *surmenage*, quod producit dispendium energiae, necnon depressionem tensionis vitalis.

Attamen ita semper contingere minime est putandum. Quaedam extant emotiones, quae in nostris aegrotis influxum benignum habent, quia sunt tonificantes et stimulantes. Sunt hujusmodi emotiones, quas determinare convenit in nostris aegrotis.

Et facile intelligitur quomodo emotio quaedam frui possit hac stimulante actione. Emotio quaedam dolo-

---

stenici nimis graviter aegrotant, ut utilitatem percipere possint ex itineribus. Psychastenicus incapax est percipiendi obiecta, rerumque positiones nimis variatas, et per hoc determinare peclicitatur quandam virium contentionem, vel quandam depressionem mentalem.

Multaque alia media particularia citari possent, quae tamen omnia in eo versantur, quod BERNHEIM vocabatur « *entrainement suggestif actif* » « *dinamogène et psychique* » (*Revue de medécine,* pag. 878), et ipsa quoque correspondent mediis, quibus usus est JANET « ad gradatim restituendas functiones synthesis mentalis » (*op. cit.* pag. 741). Si haec media addantur ad remedia moralia, et una simul copulentur cum cura morali, quae implicationes supprimat, quaeque facile reddat munus aegroti, tunc hujuscemodi excitationes habitae vi conatuum voluntatis, optimam equidem therapeuticam constituunt ».

(1) Cfr. supra, p. 96 et sq.

rosa per se est deprimens; at, si contra eam agamus, aut contra eam resistimus, emotio fieri potest, — indirecte quidem, prouti intelligitur, — stimulum quoddam voluntatis. Voluntas stimulata, incitata a dolore, agere potest, necnon coniungere conscientiae elementa, et ita reapse fieri actionis directrix.

Quod denique quotidie contingit. Si dolores sunt, qui deprimunt et animum perturbant, alii vero extant dolores, qui res miras progignunt; hominesque inveniuntur, qui, dolore fracti, fortissimi fiunt. Id apud omnes ita pervagatum est, ut nulla declaratione indigeat.

Idem evenit quoad nostros aegrotos. Dolor eos eripere potest de conditionibus spiritus, quibus utuntur; ipse attentionem subiecti in unum defigit, voluntatem excitat, conatusque compellit.

Auctores plures, casus hujus generis citant. Quaedam aegrota, de qua loquitur Raymond (1), quodam gravi statu depressionis corripitur; obsessiones tales sunt, ut ipsa nequeat se ex loco movere, ubi lacrimans et desperans longas insumit horas. Quadam die, sub vesperum, ad eam, domi manentem, maritum ferunt vulneratum ob infortunium, quod passus erat dum vehiculo se movente (*automobile*) vehebatur. Ex illo tempore ipsa relinquit omnes scrupulos; ejus attentio, ejusque voluntas cuncta configitur in curis aegroto praestandis. Ipsa ne tempus quidem inter tormenta transactum reminiscitur.

Hic casus et alii hujusmodi demonstrant, quod emotiones quae favorabiliter agunt in nostros aegrotos non sunt emotiones vagae, confusae, sed emotiones bene determinatae, praecisae, insolentes fere.

Eodem modo agunt emotiones gratae. Si curamus, ut aegroti nostri quandam perfectam ideam conse-

(1) *Op cit.* pag. 645.

quendam mente concipiant, fieri potest, ut in istis rebus eorum configatur attentio et conatus voluntatis.

Attamen notandum est quomodo emotiones gratae influxum habeant minoris efficaciae quam emotiones dolorosae.

Idcirco tota quaestio in eo est, ut nempe excitare valeamus in nostris aegrotis emotiones hujus generis, quae sic, modo tonificante, agere possint (1).

Mala fortuna, facile dictu est « emotionem producere », sed non est ejusdem facilitatis hoc perficere. Praeterea vox « *emotio* » est vaga, nimis vaga, ut in praxi obtineri possit applicatio methodica. Etenim si, uti vidimus, emotiones extant, quae deprimunt et aliae, quae ex adverso excitant, si ipsae conditiones animi variare et distinguere possunt effectum, planum est quod caute sit procedendum.

Verumtamen ubi normae fixae deficiunt, habilitas individualis supplere potest. In praesenti quoque demonstratur id, quod supra ostendi, scilicet quod sanatio scrupulosi dependet multo magis ab habilitate ejus, qui dirigit, quam a processu therapeutico bene definito.

Aliquando statim ac scrupulosum nanciscimur, sufficit ut ejus animum vehementer moveamus. Exa-

---

(1) In coetibus hypnoticis boni habiti sunt eventus pro his aegrotis curandis praecise per medium emotionis, quae excitatur. Subiectum hypnotismum desiderat, eumque timet (sicuti pluries vidimus). Ei opus est tempore et praeparatione, ut consilium capiat se subiciendi tam gravi operationi. Si medicus praebendo aegroto praecepta, ejusque animum excitando, eo venit, ut ille consilium capiat, non aliter est ac si aegrotum induxisset ad operationem quandam difficilem perficiendam, atque subiectum praeterea corripitur emotione difficultatis superatae (Cfr. JANET, *op. cit.*, pag. 731).

men modo methodico peractum (prouti expositum est cap. VIII) admiratione aegrotum afficit, et dum ipsi demonstrat se esse quidem aegrotum, non equidem peccatorem, ejus animum ad emotionem quandam excitat, quae est principium sanationis. In aliis casibus aperta declaratio sive medici sive confessarii, quod ejus haesitationes, ejusque dubia, neque sunt tentationes diaboli, neque peccata, neque remorsus, sed symptomata cujusdam morbi, in aliis casibus scire quod est possibile morbum ad sanitatem adducere, haec omnia in aegroto emotionem quandam producunt, quae favorabiliter agit, usque a prima die, in statum psychicum nostri aegroti, ac ejus tensionem excitat, confirmat ejus voluntatem atque adjuvat, ut unitas psychica restituatur.

Idcirco tamdiu instare putavi de modo se gerendi apud hos aegrotos usque a primis colloquis. Interdum enim a primis colloquis tota pendet sanatio.

Sed hic non est consistendum.

Perquiramus oportet quaenam pars in nostris aegrotis adhuc sensibilis maneat, et in illam agere necesse est, ut veras emotiones determinare possimus.

In quibusdam subiectis, affici possunt amor et benevolentia, quibus erga alios donantur; in quibusdam, pudor vel timor (1). Ad nos ergo pertinet hos sensus excitare.

---

(1) Janet observationem quandam instituit, quam repetere juvat « Mirum nobis videtur quod medicus, sua aptitudine suisque verbis, determinare valeat emotiones quasdam vehementes, dum eventus reales, qui majorem efficaciam exercere deberent in aegrotum, eum indifferentem relinquunt. Hic praesertim quaerat quispiam quomodo hujusmodi emotio, arte determinata, utilitatem afferre possit aegroto, qui ex contrario, ut plurimum patitur emotivitatem quandam excessivam, vi cujus damnosae evadunt ceterae emotiones. Est differentia artis et realitatis; ars, capax est determinandi emotiones quasdam vehementiores quam

Verumtamen non sufficit emotionem excitare, sed necesse est eam dirigere, eam evolvere, ejusque invigilare manifestationes, ut ejusdem derivationes cohibere vel impedire possimus. Breviter, nova emotionis educatio instauranda est; vi cujus eo pervenimus, ut in locum ruminationum, agitationum, angorum elementarium, substituere possimus illae emotiones, quae in hierarchia phaenomenorum psychicorum, gradus superiores occupant.

---

ipsa realitas, et praesertim emotiones melius accommodatas et magis elatas. En observatio quaedam, de qua valde miratus sum, quaeque mihi videtur admodum idonea ad docendum.

Quidam cui nomen A.... duodetriginta annos natus, nevrasthenicus, excruciatus, indifferens ad omne quod non respicit suas preoccupationes hypocondriacas, tristem casum nactus est. Primus ingressus est in cubiculum sui vicini, qui, vehementi delirio correptus, laqueo se suspenderat. A.... cognitum habebat desiderium sui vicini sibi mortem inferendi, neque ejus tristem conditionem ignorabat, at ipse hoc suicidium exspectabat, sicuti ceteri vicini; quapropter indifferens remansit. Laqueum praecidit, cadaver in pavimento stravit, atque tranquillo animo, nullam passus emotionem, egressus est. Per totam diem, suum statum, atque malum, quo se affici mente conceperat, valde lamentatus est, quin ullam sollicitudinem, ne una quidem vice, reciperet ob tristem spectaculum, quod mane viderat. Postridie in ephemeride, quae inscribitur « *Petit Journal* » narrationem hujus suicidii legit; auctor descripserat cubiculum sine ordine, fatale laqueum, imaginem hominis deformitate corruptam, atque tristissima narratio animum vehementer commovebat. A.... haec legens valde miratus est; « Quid vero! hujusmodi fuit spectaculum, cui ego primus omnium aderam; mihi hoc tam horrendum minime videbatur! ».

Haec lectio eum tam vehementer commovit, ut ipse, suo torpore excussus, navus magisque industrius factus, per duos menses suam hypocondriam oblitus sit.

Hoc exemplum parvi quidem momenti, modo quodam typico, ostendit quomodo psychastenicis necesse sit aliquem habere, qui eos adiuvet ad adipiscendam emotionem praecisam et quomodo possibile sit eos hoc sensu adiuvare.

Breviter, in praxi, numquam e memoria exeat emotionem, instrumentum quoddam esse, cujus usus difficilis atque arduus est.

Aliquando uti possumus minis et obiurgationibus, dummodo tamen verba sint praecisa et ponderata, et una simul confidentia provocetur, animusque confirmetur.

Haec excitatio per medium emotionis obtenta, una cum praecedentibus remediis physicis et moralibus atque conjunctim cum directione morali, quae obsessiones supprimit, quaeque facilem reddit vitam aegroti, constituit therapeuticam, qua nulla est in praesenti melior, contra morbum obsessionum.

Procul dubio hujusmodi cura, graves praebet difficultates; morbus est longus et per integros annos durare potest; talis cura *potius educatio* quaedam est, quam *curatio medicinalis;* insuper haec cura paulum praefinita est, nimisque medici arbitrio permittitur, a quo multum temporis exigit, necnon magnum conatum energiae, quem cogitatione fingere nequeunt ii, qui minime tentarunt illam per se ipsos applicare. Sed ipsa una est, quae modificare possit aliquos ex istis aegrotantibus insufficienter accommodatis ad vitam practicam degendam. Sperandum est fore ut dies adveniat, quum curationes majoris effectus agere directe poterunt in tensionem nervosam insufficientem, cujus adhuc ignoramus et mechanismum et conditiones. In praesenti contenti simus necesse est de his, quae explicavimus.

§ 4. — De vita religiosa scrupulosorum.

Quod hactenus dictum est de efficacia therapeutica emotionis, me impellit ad aliquid dicendum de influxu quem sensus religiosus et vita religiosa exercere possunt pro sanatione scrupulorum obtinenda. Hoc dicere

necessarium equidem est. Nonnulli enim medici reperiuntur qui insipienter, tamquam primum medium curae, aegrotos nostros jubent quemlibet actum religiosum omittere (1).

Et revera perpendatur quomodo agat sensus religiosus.

Nihil est majoris excitationis, nihil melius in unum omnes vires compellit, nihil vitam reddit placidiorem, firmiorem, tranquilliorem, quam quaedam permagna passio, quam, aliis vocabulis deficientibus, nos perfecti formam (l' *ideale*) vocamus (2).

---

(1) Non modo isti medici bonam efficaciam vitae religiosae auferunt, sed stulte operantur; nam supprimere actum difficilem non idem est ac aegrotum sanare: longe aliter! Aegrotus brevi tempore in locum veteris ideae obsidentis de re religiosa, alteram ideam substituet alia obiecta continentem. Quamobrem aegrotus solummodo *ad tempus* et *apparenter* consanuerit.

(2) Neque dicatur vita religiosa (*l'ideale religioso*) damnum aliquod afferre posse nostris aegrotis. Nos jam diximus quod norma moralis quae constituit *majorem* sillogismi, qui generat ideam obsidentem non est impugnanda, quando pulchra vel tantum rationabilis est; quod si illa occasio est dubii angorumque, hoc minime ex ejus natura dependet, et quod quaelibet alia idea praeberet impotentiae vitali occasionem quandam, generatim pejorem, sese manifestandi. Non est amor principii id, quod morbum causat (v. g. orandum est), sed est modus, quo principium applicatur.

Qua de re sane scribit Emyeu (*op. cit.*, pag. 341) « Ce n'est donc pas l'idéal qu'il faut abaisser, mais le but immédiat, l'étape à fournir avec l'effort du moment. Et, pour mesurer cette étape, tous les conseils que nous avons donnes conservent leur valeur. Mais tout ce que nous avons dit en faveur de l'unification vitale, plaide en faveur de l'idéal à aimer. Les efforts bien adaptés, les décisions, les sentiments joyeux réalisent l'harmonie du moi dans la conscience claire. C'est bien quelque chose, mais ce n'est pas tout; c'est le sommet de l'être, mais, au-dessous, il y a le coeur encore avec ses désirs obscurs, les instincts, les tendances, la vie profonde, l'être subconscient, la partie la moins connue de nous-mêmes, mais la plus riche et la plus puissante. C'est là que

Jamvero quaenam est hujusmodi perfecti species, quam nos proponere possumus aegrotis nostris? Dicere minime dubito: vita religiosa, perfecta religionis species.

Profecto, et hoc quidem fateor, aliae quoque extant normae et regulae (*ideali*), quae in casibus particularibus prodesse possunt, veluti ars, honos pro familia, etc. Sed quum nanciscimur casus, in quibus scrupulus est naturae religiosae, omni ope curandum est, ut ostendatur vita religiosa capax omnia in unum compellendi, atque ad se attrahendi cunctos hominis conatus, necnon veluti imago perfectae vitae, et compensatio suprema.

Hanc affirmationem confirmare possem rationibus phylosophicis et theologicis, sed omittendum puto ne excedere videar indolem hujus scripti, in quo scrupulum consideravi sub aspectu pure psychopathologico.

Atque sub hoc respectu affirmare possum quod ego usu cognitum habeo, quam benefica sit efficacia perfectae ideae religiosae tamquam potentia imperans voluntati.

Omnes mei aegroti — *nemine excepto* — fructum non dubium ex vita religiosa semper perceperunt.

Quod equidem intelligimus, si duo facta mente complectimur: Religio est efficax potentia uniens conscientiam, ipsa ergo sane bene juvat ad reparanda damna et dissipationes, quae idea obsidens produxit. Praeterea religio procul dubio *etiam* emotionem quandam excitat et, qua talis potest, prouti diximus, claram exercere efficaciam. Id omne dictum sit, et hoc repetere juvat, tantummodo sub mero aspectu psychologico. Qui ita explicare permittit quomodo ego, meis aegrotis exi-

---

l'idéal pénètre peu à peu par sa vertu secrète, à la suite des actes et des habitudes, pour éliminer et assimiler, pour épurer, transformer et coordonner, pour opérer cette concentration dans l'élan, cet épanouissement dans l'armonie qui est la plénitude de la vie et sa sécurité, pour faire la mise au point de tout l'être avec ses tendances et son destin ».

miam quandam religionis et moralitatis speciem proponendo, obtinere potuerim, per media indicata, sanationes tam singulares. Scilicet vita religiosa potius quam pronuntiata scientiae psychiatricae contradicat, uti nonnulli medici docent, ex adverso exitus ipsa probat, quos stabiles et firmos quam maxime reddit.

Quod si hujusmodi facta sub aspectu psychologico considerata argumentis ex theologia morali et dogmatica desumptis quis confirmare cuperet, talia argumenta certa et validissima minime deficerent.

Antequam finem faciam, factum quoddam mihi asserere liceat.

Quae hucusque in hoc ultimo paragrapho explanavi plane rationem explicant cur boni usque nunc habiti fuerint effectus ab iis qui asceticorum consilia sunt sequuti, quorum valorem et momentum ne cultores quidem psychopathologiae negare potuerunt. Neque vero ratio aderat negligendi haec consilia. Quinimmo ea maxime confirmant recentes psychopathologiae successus. Quamobrem via sequenda in curandis scrupulis omnino immutata manet. Ea tantummodo — ultimatim — ex modernis studiis magis est declarata et praefinita.

Caput duodecimum.

Conclusiones.

Natura scrupuli. — Eius origo et evolutio. — Principia pro curandis scrupulosis. — Efficacia therapeutica religionis.

Ad exitum hanc tractationem adducturi, breviter absolvere convenit nonnullas conclusiones majoris momenti, quas in hoc volumine retulimus.

Ante omnia ex iis, quae exposuimus et ordinavimus plane eruitur quod scrupulus quandam constituit singularem manifestationem cujusdam morbi, cui hisce postremis temporibus psychiatricae scientiae cultores studuere: h. e. *psychastenia.*

Multi auctores existentiam autonomam hujus morbi negant, ac diversimode explanare conantur phaenomena, quae nos descripsimus, vel ea ad alios morbos referendo, vel ea diverso modo interpretando (1).

---

(1) Praesertim Germanici auctores impugnarunt existentiam hujus morbi. Quod praecipue tribuendum est efficaciae, quam exercuerunt opiniones Kraft-Ebing qui ideas obsidentes, angores dubii et phobias neurastheniae ascribebat.

Exinde profecto nullius erat momenti etiam interpretatio symptomatum, quam nos, duce Janet, suppeditavimus, et etiam

At mihi omne dubium removendum esse videtur post recentes controversias, quas studia ab Janet, Pitres et Régis, necnon a Sollier peracta, excitarunt. Atque omnino probatum retinendum esse mihi videtur id quod sequitur:

Ideae obsidentes (vulgo: *scrupuli*), quae manifestationem prorsus singularem status scrupulosi, qua nulla alia magis strepit, constituunt — illam nempe, quae majus aegrotum et eos qui illum circumstant afficit — non sunt nisi

---

evanescebat criterium dirigens, quod juxta nos curationi praeesse debet.

Attamen notandum est quod hisce ultimis temporibus etiam in Germania, fortasse propter scripta Freud, coeptum est hac in re ex dicta sententia recedere. (Cfr.: Freud *Neurologische Centralbatt,* 1895, p. 2). Freud primus omnium in Germania demonstravit necessitatem separandi nevrosim ab angore neurastheniae.

Freud vero hisce postremis annis suam evolvit opinionem eam inserendo in sua theoria, non ignorata quidem, de natura vitae sexualis; ac obsessiones, dubii anxietates, explicavit tamquam si essent effectus pathologicus sexualitatis non expletae. (Cf: *Sammlung kleiner Scriften zur Neurosenlehre,* Leipzig 1909, *Drei Abhandlungen zur Sexualtheorie,* Leipzig 1910). At cum Freud esse non possumus in eadem sententia, cujus ratio probatur ex facto quod frequenter — uti vidimus — obsessiones se referunt ad obiecta sexualia vel saltem ad obiecta, quae quodam sexuali colore donantur. Hujus sententiae a Freud propositae recenter fuit J. Jones, (*The Pathology of morbid Anxiety*, Journal of abnorm: Psychol. B. 6, p. 81, 106). Sed, hoc non obstante, facta relata talia nobis non videntur, ut ex mente nostra evellere possint theoriam, quam in hoc volumine tuiti sumus.

Inter auctores germanicos, qui nunc nuper ejus sunt sententiae ut admittant psychasteniam, commemorandus est Ziehen, *Die Erkennung d. Psychopatischen Konstitutionen (Krankhaften seelischen Veranlassung*), 2 Aufl. Berlin, 1910, id., *Die Erkennnung Schwachsinnes in Kindsaltes,* 2 Aufl. Berlin, 1913; Gust. Major, 6., *Psychastenie in Kindesaltes,* Klin. f. psych. und nerv. Krank. B. H. 3-4, pag. 327.

terminus extremus multarum perturbationum psychicarum demonstrantium quandam profundiorem alterationem vitae psychicae scilicet *psychasteniam*. Psychastenia est quaedam psyconevrosis, quae prope ad neurastheniam accedit, et fortasse etiam ad quasdam formas paranoiae (*Janet*) (1). Id quod eam specificat est quaedam insufficientia psychica, scilicet quaedam diminutio illius tensionis psychicae, de qua quodlibet individuum fruitur.

Causâ hujus diminutionis tensionis psychicae ita immutantur functiones, vi quarum quodlibet individuum realitatem percipit, suamque vitam pro tempore et pro re dirigit. Adeo ut *scrupulosus ultimatim definiri potest veluti individuum quoddam incapax sese accomodandi ad vitae realitatem, quodque rerum adjuncta falso percipit per sua dubia, et agitationes perque suas ideas obsidentes; quae phaenomena illa moventia struunt, quae ejus dirigunt actiones.*

Haec morbi notio nos explanare sinit singularum symptomatum connexionem, atque morbi evolutionem. Supra ego descripsi quod diminutio tensionis psychicae quandam perturbationem in mente determinat, atque statum quendam inquietudinis, necnon sensus quosdam incompletionis eo graviores, quo majori intelligentia subiectum fruitur. Propter influxum hujus excitantis inquietudinis ac propter suppressionem phaenomenorum psychicorum superiorum, phaenomena inferiora, quae conservata manent, immodicam recipiunt evolutionem atque generant *tics*, agitationes motrices, emotiones dolorosas, ruminationes mentales diversissimas, uno

(1) *Op. cit*, pag. 335.

verbo ea omnia symptomata, quae scrupulosus exhibet, quaeque tam mira atque inexplicabilia videntur ei qui eorum evolutionem ignorat. Demum in mente aegroti quaedam ideae (ideae obsidentes) oriuntur, per quas aegrotus ipse suas interpretatur perturbationes. Praecipuus harum idearum character est ut sint invincibiles atque obsidentes. Ipsae nequaquam generant vera deliria; sed se ulterius evolvendo, servant formam emotionum angoris, ac ruminationum mentalium.

Praemissis igitur hac circa scrupulosi symptomata analysi atque hac determinatione de natura ejus morbi, necnon hoc circa ejus evolutionem specimine, recipere possumus definitionem quam Janet (1) tradit, juxta quam psychastenia est psychonevrosis deprimens, cujus natura specificatur ex diminutione functionum, quae agere super realitatem, eandemque percipere permittunt, ac ex substitutione operationum psychicarum superiorum cum operationibus psychicarum inferiorum et exaggeratarum, prouti sunt dubia, agitationes, angores, ideae obsidentes; phaenomena psychica quae revelant quandam profundam alterationem psychicam, quaeque illos characteres exhibent qui ex natura harum alterationum dependent.

Ita natura scrupuli determinata, intelligere possumus quaenam sint conditiones, quae in hunc morbum producendum influunt; hujusmodi conditiones ex illis circumstantiis fluunt, quae determinant quasdam fluctuactiones gradus mentalis, quaeque imminuunt vel elevant hanc tensionem psychicam, cujus depressio est totius morbi initium. Verumtamen observandum est quod hae variae circumstantiae non possunt habere rationem verae causae; ipsae sunt simpliciter causae

(1) *op. cit.* pag. 723.

occasionales, quae una cum causis praedisponentibus (uti aetas, morbi organici, etc.) substratum ad psychasteniam evolvendam praeparant. Veram hujus morbi causam ignoramus; attamen affirmare possumus quod agitur de quodam morbo constitutionali, ut aiunt, scilicet de morbo quodam, qui hereditarius in stricta verbi significatione dici nequit, nihilominus hereditas est ejus causa efficiens majoris momenti.

Hic modus interpretandi scrupulos indirecte confirmatur ex illis effectibus bene quidem acceptis, quae obtinentur per medium cujusdam curae causalis, quae propositis rationibus obtemperet.

Cura, cui subiciendi sunt scrupulosi, est cura exclusive vel quasi psychica prouti psychica est morbi natura. Quoniam morbus consistit in quadam depressione tensionis psychicae, inde sequitur quod finis curationis sit: 1) tendere ad extollendam tensionem psychicam pathologice depressam; 2) diminuere difficultates, quas realitas et vitae adjuncta exhibent, quasque superandi incapax fit subiectum ob suum statum; 3) reddere aegrotanti sensum realitatis, quem ipse amisit, idest capacitatem se dirigendi pro variis vitae rerumque adjunctis. Scilicet curatio in hoc consistit: *a*) Ita agendum est ut utilitatem capere possimus ex omnibus illis moralibus condionibus, quae determinare valeant elationem quandam tensionis psychicae; *b*) evitanda est quaelibet dissipatio energiae psychicae, uti accidit causâ ruminationum, *tics*, agitationum diffusarum, aliorumque omnium phaenomenorum derivatorum; *c*) educanda est voluntas, attentio et emotio aegrotantis, praesertim subiectum assuefaciendo ut conatum quendam compleat, vi cujus integra recuperari possit functio realitatis.

Profecto hujusmodi curatio in praxim est deducenda semper prae oculis habitis illis cautionibus et methodis, quas hactenus paullatim descripsi.

Exitus habiti a me et a nonnullis sodalibus, quos ego ex industria docui, in casibus quoque gravissimis in quibus inutilis quaelibet curatio videbatur, et de quibus nulla spes habebatur, tales mihi esse videntur, ut alios quoque excitent ad eandem viam tenendam, quam ego ingressus sum.

Neque hoc agendo opus novum confecisse arbitror. Opera cultorum scientiae psychiatricae, quae prae oculis habui — quos inter auctores praesertim commemorandi sunt Janet, Pitres, Régis, Emyeu, et quadantenus Freud — mihi viam tenendam indicarunt. Ad hujus generis opera ego illa facta et leges contuli, quae inquirendo et experiendo a me inventa fuerunt; quod tamen spero fore ut alicujus auxilii sit ad divulgandam notitiam illius normae sequendae, quae his infelicibus — quorum nostra aetate magnus equidem est numerus — animi tranquillitatem restituere valeat.

Denique postrema verba sint de vita religiosa ad ea iterum confirmanda, quae jam explanavi; neque superfluum videatur, propterea quod quamplures hodie circa hanc rem opinione praejudicata obstinate ducuntur. Potiusquam retineamus vitam religiosam esse supprimendam vel limitandam ad scrupulosi sanationem consequendam, ex contrario retinendum est, quod ipsa medium constituit, quo nullum aliud est efficacius, ut his aegrotantibus restituatur vis voluntatis, quam perdidere, ut scrupulosi denuo percipiant scopum et sensum valoris vitae, quem amiserunt, ut demum eorum emotiones psychicae illa unitate et tensione donentur, quae necessariae sunt ut ipsae normaliter suas functiones exercere valeant.

Igitur vitam religiosam sequatur oportet curatio psychotherapica, cui subiciendi sunt scrupulosi. Et hoc agentes nos illud consolatur quod scilicet — uti jam

diximus — normae, quas hodierna psychiatria docet, prorsus novae minime sunt. Istae normae tantummodo methodicum reddiderunt id, quod ascetici christiani suaserunt; ipsae super scientiae principia fundarunt illud, quod nostri magistri spiritus experiendo didicerunt.

A. M. D. G.

MONITUM.

In ultimo volumine praesentis collectionis index analyticus rerum ac personarum divulgabitur in quo praecipue breviter exponetur significatio *tecnologiae* adhibitae.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 2, lin. 27-28:	methaphysice	metaphysice
» 3 » 16:	prasenti	praesenti
» 7 » 4:	qui	quid
» 7 » 10:	(graece σκρυπος)	(= scripulus)
» 9 » 17:	phoenomenologia	phaenomenologia
» 11 » 9:	quadamtemus	quadantenus
» 13 » 4:	Schoe ss.	Schloess.
» 18 » 12:	phoenomeni	phaenomeni
» 18 » 21:	obssesiones	obsessiones
» 19 » 16:	insufficienta	insufficientia
» 19 *in nota*:	subtilis psychologici praedictos	subtili psychico praeditos
» 19 *in nota*:	multnm	multum
» 20, lin. 7:	ratio extans	ratione extante
» 25 » 29:	aliqua	aliquo
» 32 » 4-11:	investigari	investigare
» 33 » 25:	desint	desinunt
» 42 *in nota*:	propriorum	propriarum
» 45, lin. 10:	(1)	*Op. cit.*, pag. 74 sq.
» 46 *in nota*:	*Idem*, pag. 36	*Op. cit.*, pag. 75
» 47, lin. 34:	trangrediar	transgrediar
» 51 » 19:	exemplo allato	exemplum
» 99 » 3:	*ereuthphobia*	*ereutophobia*
» 119 » 22:	acris	acre
» 132 » 13:	ut	aut
» 142 » 10:	singularis	singulare
» 152 » 6:	phaenomen	phaenomenon
» 201 » 6:	substituere	substitui
» 211 » 9:	coactas	coactae
» 213 » 5:	psycholepsia	psycholepsiam
» 246 » 1:	sensum	sensuum
» 275 » 29:	alicuis	alicujus
» 290 *in nota*:	respondent	respondet

Leviores alios, qui irrepserint, errores benignus lector corriget.

INDEX

PROOEMIUM. — *Lectori benevolo* . . . . Pag. 1-6

INTRODUCTIO. — Notio scrupuli. — Etymologia. — Conceptus theologicus. — Scrupulus et obsessiones. — Psychologicus usus hujus nominis: « scrupulus ». — Scrupulosus consideratus ut scrupulosus — ut psychasthenicus. — Quaestiones tractandae. — Operis conspectus . . . . . Pag. 7-15

CAPUT PRIMUM

De ideis obsidentibus (Idee ossessive).

1. *Notiones fundamentales.* — Idea obsidens. Nomenclatura idearum obsidentium. Difficultates, quae in praesenti studio obversantur . . . . . Pag. 17-20

2. *Materia idearum obsidentium.* — Ejus varietas. Classificatio proposita ab Janet: *a)* Obsessiones et impulsiones sacrilegae. Natura et exempla. — *b)* Obsessiones et impulsiones criminosae. Natura et varietas. Obsessiones genitales. Remorsus. — *c)* Obsessiones contemptus et pudoris de seipso; variae classes: 1) dubii; 2) relative ad amentiam; 3) ad personalitatem; 4) desiderii, 5) pudoris, 6) amoris, 7) contemptus proprii corporis. — *d)* Obsessiones contemptus proprii corporis. — *e)* Obsessiones hypochondriacae . . . . . Pag. 20-32

3. *Characteres idearum obsidentium.* — Forma idearum obsidentium. Hujus studii momentum. — *a)* Idea obsidens est idea fixa. — *b)* Status habentis ideam

obsidentem potest nuncupari dementia lucida. — *c)* Permanentia et frequentia idearum obsidentium. — *d)* Tendentia ad ideas obsidentes revocandas. — *e)* Duplex personalitas scrupulosi. — *f)* De tendentia ad agendum et de executionis absentia. — *g)* Tendentia ad repraesentationem. — *h)* Character dolorosus ideae obsidentis . . . . . Pag. 32-61

CAPUT SECUNDUM

De evolutione idearum obsidentium.

Conatus aegroti ad certitudinem acquirendam. — Media adhibita: Ratiocinatio. Impotentia relate ad praeteritum, praesens et futurum. — Pacta, vota, medium tutius. — Confessio. — Consequentia horum conatuum. — Praesagia. — Mania compensationis et expiationis. — Phaenomena derivativa . Pag. 63-77

CAPUT TERTIUM

De agitationibus coactis.

1. *Introductio* — Quid agitatio. Characteres agitationum in genere. Nomen. Classificatio . . . Pag. 79-81
2. *De agitationibus mentalibus.* — *a)* Maniae mentales systematicae: mania fluctuactionis, mania ultra gradiendi *(dell'al di là)*, mania reparationis. — *b)* Maniae mentales diffusae: ruminatio mentalis. Pag. 81-89
3. *De agitationibus motricibus.* — Earundem characteres generales et varietates. — *a)* Tà *tics.* Eorum natura, varietas et characteres. Eorundem inefficacia. — *b)* Crises agitationis diffusae motricis. Earum characteres . . . . . Pag. 89-95
4. *De agitationibus emotionalibus.* — Earundem characteres et utilitas. Classificatio. — *a)* Phobiae. Magnus earum numerus et varietas. Algiae, topoalgiae. Phobiae functionum, obiectorum. — *b)* Angores. Eōrum characteres et varietas. Physiologici effectus. Pag. 96-102
5. *De communibus characteribus agitationum coactarum.* — *a)* Earum unitas clinica et necessitas eas colligendi. — *b)* Agitationes coactae cum ideis obsidentibus comparatae. Agitationum crises; earumque causae et genetica connexio . . . . . Pag. 102-105

CAPUT QUARTUM

De stigmatibus status scrupulosi.

1. *Introductio.* — Ordo logicus et chronologicus phaenomenorum, quibus scrupulosus afficitur. Stigmata scrupulosi, tamquam phaenomenon fundamentale et proprium status scrupulosi. Hujus studii difficultas. Horum phaenomenorum classificatio . . Pag. 108-110

2. *Sensus incompletionis (I sentimenti d'incompletezza).* — Eorum natura et characteres. — *a*) Sensus incompletionis quoad actionem. Sensus difficultatis, ineptitudinis, haesitationis, molestiae, etc. — *b*) Sensus incompletionis quoad operationes mentales. Sensus difficultatis quoad operationes mentales, perceptionis imperfectae, amissionis sensus temporis, dubii, etc. — *c*) Sensus incompletionis quoad emotiones. Sensus indifferentiae, inquietudinis, necessitas excitationis, ambitio, etc. — *d*) Sensus incompletionis quoad perceptionem personalem. Sensus extraneitatis propriae personalitatis, duplicis personalitatis, (*di sdoppiamento*) amissionis personalitatis (*di spersonalizzazione*), etc. . . . . Pag. 110-124

3. *Insufficientiae psychicae.* — Earum characteres generales. Natura insufficientiae psychicae. Earum varietates. — *a*) Insufficientiae voluntatis : Indolentia, animi fluctuactio, lentitudo actuum, retardatio actionum, debilitas conatuum, labor, absentia oppositionis, abuliae, inhibitiones, inertiae. — *b*) Alterationes intelligentiae, emotionum, et sensuum. — Amnesiae, deficientia intelligentiae, perturbationes attentionis, species inanes mentis (*rêverie*), eclipses mentales. — Sensus melancholici, emotivitates, emotiones sublimes, necessitas directionis, excitationis ad amandum et ut quis ametur, timor solitudinis, necessitas auctoritatis . . . . . Pag. 124-137

4. *Characteres generales status psychici scrupulosi.* — *a*) De incompletione morali (*la incompletezza morale*). Amissio *functionis realitatis* . . Pag. 137-141

5. *Insufficientiae physiologicae status scrupulosi.* — Earum natura et characteres generales. — *a*) Insufficientiae systematis nervei. — *b*) Insufficientiae fun-

ctionum digerentium seu digestivarum. — c) Insufficientiae circulationis . . . . . Pag. 142-144
6. *Conclusiones.* — Relatio insufficientiarum inter se, et cum aliis phaenomenis. . . . . Pag. 144-145

CAPUT QUINTUM

De theoriis pathogeneticis scrupuli, seu de theoriis circa scrupuli naturam.

1. *Introductio.* — Tractationis difficultates. — Interpretatio psychologica scrupuli. — Tres theoriarum ordines . . . . . Pag. 147-150
2. *De theoriis intellectualisticis.* — Earundem insufficientia . . . . . Pag. 150-152
3. *De theoriis emotionalibus.* — Superioritas earum prae praecedentibus. — Earum critica et insufficientia . 152-159
4. *De theoriis psychastenicis.* — Hujus doctrinae fundamentum . . . . . Pag. 160-161
5. *De phaenomenorum psychicorum hierarchia.* — Hujus hypothesis necessitas. — Ejus fundamentales notiones. — Momentum et praestantia phaenomenorum. — Eorumdem classificatio . . . . Pag. 161-174
6. *De tensione psychica.* — Hujus hypothesis fundamentum et necessitas . . . . . Pag. 174-179
7. *De fluctuactionibus tensionis psychicae.* — Interpretatio scrupuli, prouti est quaedam depressio tensionis psychicae . . . . . Pag. 180-182
8. *Conclusio* . . . . . » 183

CAPUT SEXTUM

De interpretatione symptomatum scrupulosi.

1. *Interpretatio obsessionum.* — Status obsessivus, effectus depressionis tensionis pshychicae. — Ratio inutilitatis conatuum peractorum ad adipiscendam certitudinem, deducitur ex insufficientia tensionis psychicae. — Mechanismus originis ideae obsessivae. — Influxus praedispositionum determinantium depressionem tensionis psychicae. — Characteres ideae obsessivae sub respectu hujus theoriae considerati . . Pag. 186-197

2. *Interpretatio insufficientiarum.* — Insufficientiae psychicae et physiologicae, tamquam effectus insufficientiae tensionis psychicae . . . . Pag. 197-200
3. *Interpretatio sensus incompletionis.* — Ipsi sunt effectus difficultatis, qua scrupulosus afficitur ad perficiendos actus determinatos necnon difficultatum quae, obstant quominus hae difficultates superentur. . Pag. 200-203
4. *Interpretatio agitationum coactarum.* — Hae sunt phaenomena deviationis, substitutionis, derivationis. Pag. 203-207
5. *Interpretatio systematizationis phaenomenorum fundamentalium et phaenomenorum secundariorum seu derivatorum.* — Systematizatio habetur quia difficultates respiciunt solummodo determinatos actus. — Systematizatio derivationis, tamquam effectus conatus a subiecto peracti ad se subtrahendum a sensibus incompletionis . . . . . Pag. 207-212
6. *Conclusiones.* — Scrupulus est manifestatio psychasteniae, et symptomata status scrupulosi nos interpretamur tamquam symptomata hujus status. Pag. 212-215

CAPUT SEPTIMUM

De conditionibus aetiologicis status scrupulosi.

1. *Quaestiones praeliminares.* — De obscuritate et momento studii circa aetiologiam scrupulorum. De impossibilitate determinandi causas hujus morbi. — De conditionibus. Conditiones essentiales et accidentales. — Utrum existant casus dependentes ex causis occasionalibus. — Crises scrupulorum et status scrupulosus . . . . . Pag. 217-221
2. *De hereditate.* — Recensentur tabulae statisticae, ex quibus demostratur influxus hereditatis. Ejus ambitus et momentum . . . . . Pag. 222-224
3. *De sexu et aetate.* — Eorundem influxus et statisticae . . . . . Pag. 224-228
4. *De conditionibus psychicis determinantibus.* — Earum influxus et limitationes. — Influxus sexualis. Pag. 228-230
5. *De conditionibus moralibus determinantibus.* — Earum momentum et varietas . . . . . Pag. 231-235
6. *Conclusio.* — Psychastenia est morbus constitutionalis et hereditarius . . . . . Pag. 235-236

CAPUT OCTAVUM

De diagnosi et prognosi.

1. *Introductio.* — De necessitate instituendi diagnosim et prognosim. . . . . Pag. 237-238
2. *De diagnosi.* — *a*) De modo instituendi diagnosim. Alii casus exhibent facilitatem, alii vero magnam difficultatem. Semper adhibenda est prudentia. — *b*) Tentationes et scrupuli. Eorum relationes et differentiae. — *c*) Neurasthenia et scrupuli. De singulari difficultate et de modo hos morbos superandi. — *d*) Confusio mentalis, dementia præcox et scrupuli. Eorum differentiae. — *e*) Paralysis progressiva et scrupuli. — In nonnullis casibus confusio oriri potest. — *f*) Hysterismus et scrupuli. Graves occurrunt difficultates. Quaenam normae sequendae. — *g*) De difficultate constituendi limites bene definitos. — *h*) Dementia et scrupuli . . . . , Pag. 238-251
3. *De prognosi.* — De necessitate constituendi prognosim. — *a*) De prognosis gravitate. — *b*) De characteribus aggravantibus. Hereditas, aetas, sexus, etc. — *c*) De prognosi respectu habito ad varia morbi momenta. — *d*) Quid sperandum ex curis, quae proponuntur. . . . . Pag. 251-256

CAPUT NONUM

De methodo adhibenda in directione spirituali scrupulosorum.

1. *De possibilitate curandi scrupulosos.* — Methodi variae. . . . . Pag. 257-258
2. *Curae physicae.* — Earum insufficientia. — *a*) Vita hygienica. — Ejus momentum. — *b*) Cura sedans seu sedativa. — Exponuntur controversiae. — *c*) Remedia tonica. — Eorundem utilitates et limites. — *d*) Hydrotherapia . . . . . Pag. 259-263
3. *Suggestio.* — *a*) Hypnotismus. — Impossibilitas illum applicandi. — *b*) Suggestio persuasiva. — Ejus insufficientia . . . . . Pag. 264-268

4. *Psychotherapia.* — *a*) Principia generalia. — Ejus momentum et efficacia. — *b*) Directio moralis. In quo consistat. . . . . Pag. 268-273
5. *Modus instituendi directionem moralem.* — *a*) Diagnosis. — Ejus momentum. Quomodo sit facienda. — *b*) Confidentia in directore. — Ejus momentum et difficultas eam acquirendi. — *c*) Modus interrogationum instituendarum. — *d*) Auctoritas directoris. — Ejus momentum. — Quomodo acquiratur et conservetur. Competentia, confidentia, fiducia. — Bonitas ejus, qui dirigit. — *e*) Oboedientia. — Ejus natura et modus eam obtinendi. — Ejus gradus . Pag. 273-293
6. *Conclusio* . . . . . » 293-294

CAPUT DECIMUM

De cura morali scrupulosorum.

DE MEDIIS PRO DIMINUENDA DIFFICULTATE QUOAD VITAM SCRUPULOSI.

1. *Regulae generales.* — Explanantur rationes propter quas diminuendae sunt difficultates et complexitas vitae. Limites servandi. — Exempla . . Pag. 295-299
2. *Regula pro solvendis difficultatibus circa scrupulos de rebus religiosis.* — Evidentia tamquam criterium rationis. — Formulae practicae. — Earum ratio et utilitas. — Officia practica. — Casus particulares. Pag. 299-310
3. *De suppressione actuum religiosorum.* — Quibusnam in casibus, quibus limitibus et quanam cum diligentia sit adhibenda . . . . . Pag. 310-311
4. *De effectibus regulae traditae.* — Actio cumulans et actio simplificans . . . . . Pag. 311-312
5. *De morali rectitudine formulae propositae.* — Liceitas agendi juxta evidentiam pro scrupuloso. Pag. 312-314
6. *Conclusio* . . . . . » 314-315

CAPUT UNDECIMUM

De cura morali scrupulosorum.

DE MEDIIS ADHIBENDIS PRO EXTOLLENDA TENSIONE PSYCHICA SCRUPULOSORUM.

1. *Introductio.* — De necessitate extollendi tensionem psychicam. — Duplex ordo conditionum, quae super tensionem psychicam agunt. . . . Pag. 317-318

2. *De conditionibus, quae parce uti energia psychica permittunt.* — Surmenage physicum. — Surmenage psychicum. — Surmenage derivans ex ruminationibus mentalibus. — Sensus. — Quaenam media ad effectus damnosos impediendos . . . Pag. 318-322

3. *De conditionibus excitantibus.* — De necessitate provocandi conatus, vi quorum obtineri possit accomodatio ad realitatem. — Regulae sequendae in his conatibus provocandis. — Conatus psychici. — De labore ac de ejus efficacia. — De emotionum educatione. — Conclusio . . . . . Pag. 322-338

4. *De vita religiosa scrupulosi.* — Efficacia therapeutica religionis. — Qua de ratione non sunt prohibendi actus religiosi. — Mutua psychiatriae et asceticae concordia in regulis praescribendis . . Pag. 338-341

CAPUT DUODECIMUM

Conclusiones. — Natura scrupuli. — Eius origo et evolutio. — Principia curae scrupulosorum. — Efficacia therapeutica religionis . . . . . Pag. 343-349

Monitum . . . . . Pag. 351

Errata-Corrige . . . . . Pag. 352

Index . . . . . Pag. 353-360

LIBRERIA EDITRICE FIORENTINA - Firenze

QUAESTIONES THEOLOGIAE MEDICO-PASTORALIS

VOLUMEN I.

AUGUSTINUS GEMELLI O. F. M.
Doctor Medicinae et Chirurgiae
Professor ad. Honorarius Hystologiae - Lector Medicinae Pastoralis

NON MOECHABERIS

Disquisitiones medicae in usum confessariorum

EDITIO QUARTA, PENITUS RECOGNITA, NOTABILITER AUCTA
AC DENUO EX ITALICO IN LATINUM SERMONEM TRANSLATA
A CAN. DOCT. JOSEPHO BIAGIOLI

Volumen in-8, pag. XXVI-272 L. 4,—

Sub praelo:

Vol. III. — **De matrimonio.**
» IV. — **De psychopathologiae pastoralis principiis. - De inculpabilitatis causis et diagnosi.**
» V. — **De abortu et de operationibus circa foetum.**
» VI. — **De masturbatione.**
» VII. — **De hygiene ecclesiastica.**

P. GEMELLI. - Non moechaberis.

Quem finem in altera hac editione evulganda persecutus sit scriptor, ex iis quae proœmiatus est, eruitur clarissime:

« Prima hujus operis editio, benigne a medicis et theologis excepta, ac in diariis non paucis et commentariis laudata, brevissimo exhausta est tempore. Unde sollicite et instanter ab editoribus et amicis rogati alteram ab initio proposuimus editionem illico curare; sed multiplices rationes animum nostrum adduxerunt ad amplius cogitandum efformandumque opus. Consideranti enim quomodo in communibus medicinae pastoralis manualibus materia distribuatur, et quaenam in singulis quaestionibus tractandis methodus adhibeatur, facile statim apparet ex his quaedam tamquam tractationes elementares de praecipuis quaestionibus optime quidem esse studentibus accomodata (uti, ex. gr., eximium Capelmann manuale), sed cetera, pleniores agressa disputationes, veluti collectiones quasdam exhibere plus minusve rite ordinatas, nonnulla etiam heterogenea continentes, in quibus systematicum ordinem expositionemque methodica difficile est invenire.

« Nobis igitur opportunum visum est separatim singulas tractare quaestiones, quae multiplices notiones requirunt elementares, necnon varietatem quandoque ipsius methodi et criterii tam in investigandis quam in exponendis doctrinis, atque singulis tractatibus manuale analogum seu respectivum aptare.

« Varia haec itaque manualia complexive sumpta collectionem constituent, cui titulus: *Quaestiones theologiae medico-pastoralis.* In unoquoque vero volumine argumentum pertractabitur in se organice constans. Eorum autem compositio haud exclusivis perficietur criteriis omnes in unum coacervandi cognitiones actuales, quae ad illam pertinent materiam, sed novam suppeditabit contributionem cuilibet jam antea explanatae quaestioni. Ad hunc porro finem conclusiones nostrarum investigationum et studiorum afferemus; et iis expositis, quae ab aliis tradita sunt, experientiis quoque et factis innixi, quae verior et melior retinenda videbitur, solutionem vindicabimus.

« Hoc autem primum volumen illud totum complectitur quod medicum et confessarium potest juvare ad judicium efformandum circa imputabilitatem actuum sexualium, necnon circa idoneitatem mediorum, quae suggerere valet medicina ad impuritatem oppugnandam. Quidquid igitur in prima editione continebatur, quod meliorem potest accipere aptioremque explanationem in aliis manualibus, ex. gr.: *De matrimonio*, vel: *De psychopathologia pastorali*, ab

P. GEMELLI. - Non moechaberis.

hac altera expunctum est; in qua potius omnes comprehensae sunt nôtiones ex biologia depromptae, necnon ex psychologia, physiologia et pathologia, quae ad finem intentum utiles esse possunt. Et hinc factum est, ut praesentis operis plena et totalis consecuta sit reformatio, seu melius vera transformatio successerit.

« Praesens autem volumen cetera citius sequentur, quorum alia jam typis sunt consignata, alia vero struuntur. In quibus tamen edendis non logici cujusdam criterii, seu opportunitatis ratio dumtaxat habebitur, illa prius in lucem proferendo, quae pertractant quaestiones, positivas jam solutiones adeptas ».

Atque jam ex nunc sequentia possumus praenuntiare volumina: II. *De scrupulis, eorumque natura et causa.* III. *De matrimonio.* IV. *De psychopathologiae pastoralis principiis. — De inculpabilitatis causis et diagnosi.* V. *De abortu et de operationibus circa foetum.* VI. *De masturbatione.* VII. *De hygiene ecclesiastica.*

Commentaria periodica praecipua eximiis laudibus librum nostrum ornarunt; ex quorum iudiciis nonnulla subicimus.

« Dare ai confessori un più adeguato criterio per giudicare del grado di imputabilità per ciascun individuo nella molteplice varietà delle circostanze: ecco lo scopo principale del libro, sebbene vi abbia non piccola parte anche lo scopo apologetico, in difesa, p. e., della virtù della castità e della continenza contro certi pregiudizî veramente turpi, oggidì correnti anche per le bocche di quelli che vantano, e in questo a torto, la laurea in medicina..... Un libro ottimo per i sacerdoti e specialmente per quelli che si dedicano alla cura d'anima della gioventù ».

Scuola Cattolica, febbraio 1910.

« Quelques additions et améliorations ont été faites dans cet excellent ouvrage dont nous avons recensé la première édition (IV [1910], p. 13). Nous souhaitons que cette nouvelle édition soit aussi bien accueillie que la première ».

Revue des sciences philosophiques et théologiques, 1911, N. 2.

« También el franciscan P. Gemelli, doctor en Medicina y Cirujia, ha llevado felizmente abundantes luces de las ciencias médicas y antropológicas al campo de la Teologia moral práctica en su reciente obra *Non moechaberis,* editada primeramente en su lengua natal, el italiano, y trasladada ahora al idioma de Lacio, en el que no será fácil que puedan encontrar pábulo para su gusto curiosidades malsanas. De todas suertes, el P. Gemelli sabe

P. GEMELLI. - Non moechaberis.

muy bien tratar todas las cuestiones en que se ocupa desde altura bastante para desvanecer toda ilusión engañosa, aun en materias de suyo peligrosas..... La doctrina contenida en este trabajo del ilustre franciscano es conocidamente sana y sólida, ya considerada teológica, ya filosófica ó científicamente ».

Ciencia Tomista, nov.-dic. 1911.

« " *Non mœchaberis* ,,. Sous ce titre, le P. Augustin Gemelli, des Frères mineurs, entreprend de traiter la délicate question du sixième commandement, dont il n'est pas besoin de dire l'importance et l'actualité. L'ouvrage, d'abord écrit en italien, a été traduit en latin par les soins du chanoine Joseph Biagioli pour être à la portée de tous les confesseurs. Ce qui en fait la nouveauté, c'est que, l'auteur, qui est docteur en médecine et en chirurgie, parle en moraliste doublé d'un savant. D'où certains renseignements généraux qu' on ne trouve pas toujours dans les traités de ce genre, comme l'analyse de l'appétit sexuel et de ses causes (ch. I et II) ou encore l'étude pathologique de ses perversions (ch. VII)..... Tous les directeurs et pédagogues, qui savent combien la vie de l' âme dépend ici de celle du corps, seront heureux de consulter cet ouvrage où le tact moral du prêtre s'unit à la compétence du médecin L'auteur annonce une série de volumes semblables sur quelques graves problèmes de théologie médico-pastorale. De telles publications, qui viennent combler une lacune des manuels ordinaires, ne peuvent que rendre service à tous ceux qui travaillent au ministère des âmes ».

Revue du clergé français, 15 mai 1911.

« The author, a physician and surgeon who had entered the priesthood as a Friar Minor, after considerable experience in the practice of medicine, devoted himself by preference to the scientific study of the same subject, the outcome of which was a number of books dealing with biological problems and criticisms of the assumption of modern scientists, such as Hæckel and Lombroso in their respective spheres. Soon the question of how to combat the degra- ding moral tendencies encouraged and spread through the false philosophy of these teachers engaged the learned Franciscan and suggested to his mind a plan which would satisfactorily answer all the needs of confessors in the field of pastoral medicine The volume published last year in Rome was the tentative answer to these needs, and the demand for a work of this

P. GEMELLI. - Non moechaberis.

kind was proved by the rapidity with which the edition was exhausted . . . . . .

« The call for a second edition led the author to enlarge his plan by separating the various questions to be discussed and treating them distinctly in their different aspects . . . . . .

« Father Gemelli's treatment regarding the prophylactic aids to continence is very satisfactory. In pointing out the medical remedies for preventing and curing wrong or dangerous aphrodisiac tenden- cies, he suggests simultaneously the reasons and methods of treatment in various cases and under different circumstances ».

Ecclesiastical Review, september 1911.

« Le P. Gemelli signe « doctor medicinae et chirurgiae, prof. ad. honorarius histologiae, lector medicinae pastoralis »; c'est assez dire la compétence avec laquelle il a écrit son livre. Quant à la matière traitée, elle est clairement indiquée par le titre de l'ouvrage.

« Ce sujet délicat, le P. Gemelli l'examine sous les aspects positifs et négatifs qui peuvent être utiles à ses lecteurs . . . .

« . . . Ceux à qui sont destinées ces pages n'auront pas ed peine à voir combien l'œuvre du P. Gemelli peut leur être utile, s'ils veulent, non seulement absoudre les péchés passés, mais encore les prévenir et s'employer à la cure des âmes. Je ne signalerai, comme détails particuliers, que quelques vues jetées ça et là sur la limitation de la responsabilité dans certaines formes et à certains degrés de vice ».

Études des Pères de la Compagnie de Jésus, 20 juillet 1911.

« Der Verf., früher Doktor der Medizin und Chirurgie, jetzt Franziskaner und Lehrer der Pastoralmedizin, will nämlich den Beichtvater auf Grund der gesicherten Resultate der Naturwissenschaften instand setzen, sich ein richtiges Urteil über die Sünde der Unkeuschheit in ihren verschiedenen Formen zu bilden und dem ungeheuern Elend, das die Unzucht über den einzelnen Menschen und die Gesamtheit bringt, durch sachgemässe Behandlung nach Möglich keit zu steuern. Mit bewundernswerter Erudition werden die Forschungen und Zeugnisse von Medizinern fast aller Länder, besonders von solchen, die ethisch und religiös ganz verschiedener Ansicht sind, in wirksamer Weise verwertet....

« Volle Anerkennung verdient der sittliche Ernst, der das ganze Buch durchweht und mit dem auf die Bedeutung der sit-

P. GEMELLI. - Non moechaberis.

tlichen und religiösen Hilfsmittel im Kampf gegen alle Formen der Unzucht hingewiesen wird . . . . . ».

Literarische Rundschau, N. 8, 1911.

« P. Gemelli ist Naturforscher und Arzt, Priester und Seelsorger. Er kennt besser als die Mehrzahl von uns das grosse Elend, welches die Unzucht in ihren verschiedenen Formen über die Menschheit bringt, und man kann aus seinen Worten deutlich die Herztöne eines tiefen Erbarmens und den ernsten Willen zu helfen heraushören. Die bisher erschienenen Pastoralmedizinen geben zwar schon viele gute Winke für Beichtväter, um Missgriffe in Beurteilung und Behandlung eines Gebietes zu vermeiden, wo mehr als anderswo sittliche, geistige und leibliche Gebrechen zu einem oft kaum zu entwirrenden Knäuel verschlungen sind. Für schwierige Lagen aber, vorab in Grossstädten und an verschiedenen Anstalten, wird ein besonderes Werk, das nach Möglichkeit alle gesicherten Ergebnisse der Naturwissenschaften dem Seelsorger zugänglich macht, noch immer willkommen sein. Ein solches zu liefern, hat der Verfasser sich anheischig gemacht, und er bringt für die Ausgabe eine gewaltige Erudition mit, die sich in dem beigegebenen Literaturverzeichnis ausweist. Da sind die modernsten italienischen, französischen, spanischen, englischen und deutschen Werke aus den einschlägigen Gebieten verzeichnet. Die fortwährende Bezugnahme darauf im Fortgang des Buches aber zeigt, dass sie wirklich studiert und selbständig verarbeitet sind. An der nötigen Ausrüstung, an voller Beherrschung des Gegenstandes fehlt es also nicht. Dementsprechend gibt das Buch auch wirklich eine gute Anzahl praktischer Winke und Warnungen, die Segen stiften und Fehler verhindern können . . . ».

Stimmen aus Maria Laach, 1910, LXXXIX, 5.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY